

D. O. M. S.
HOSPES, VIDE, LEGE
MONUMENTUM
GENEROSI ET MAGNIFICI
DOMINI
IOAN. GEORGII
à SCHÖNAICH,
AMBTITI, STARGARDIÆ, MAJORIS
RESITI & C. TOPARCHÆ,
SAC. & CES. & MAJES. US. CONSIL. III
QUI MAJORUM ILLUSTR. GLORIAM
ÆQUAVIT, ORNAVIT
SINCERA PIETATE,
CIRCUMSPECTA PRUDENTIA,
FORTIS ANIMI CONSTANTIA,
AMOENA GRAVITATE MORUM,
LIBERALISS. HUMANITATE,
GRATUS
SUMMIS, INFIMIS, MEDIOXUMIS:
POSTERIS LAUDEM,
CORPUS MAGNÆ MATRI TERRE
RELIQUIT:
COELO ANIMAM PRÆMISIT.



MERCURIUS NOBILIS,^{21.}
hoc est,
QUÆSTIO
POLITICA,

An Adolescenti Principi,
aut præclaræ familiæ pe-
reginari liceat;

IN ILLUSTR. GYMNASIO
SCHÖNAICHIO

novem orationibus adversariis, à totidem
Juvenibus tractata:
auspicio & ductu.

CASPARIS DORNAVI.

GÖRLICII

IOHANNES RHAMBA EXCVDIT.

GENEROSO DOMINO
JOANNI A SCHÖNAICH,
IN MELLENDORF, &
SCHLAUPITZ, &c.

JUXTA ET
MAGNIFICO VIRO,
Dn. TOBIÆ SCULTETO
A BREGOSCHITZ & SCHWA-
NENSEH, IN HIRSCH-
FELDA, &c.

Sac.^æ Cæs.^æ Majes.^{tis} Consil.^{rio} &
Commis.^{rio}. Comiti sacri palatI, fisciq;
regii per Siles. ac Lusat. inferior.
Patrono & J.C.^{to} &c.




Dominis ac fautoribus meis
plurimum colendis
S. D.

CASPAR DORNAVIUS.

426438

ἀρετῇ καὶ χάριτι.



ANTELOGIUM.



Ur vobis hunc libellum tantâ of-
feram confidentiâ, GENEROSI ET
MAGNIFICI VIRI: non opinor, quisquam
erit severitatis adeò Catonianæ; qui multa
rationum momenta ad unguem à me exi-
gat. Si enim pulchrum est, in Censores incidere, quo-
rum & commendata sit in judicando æquitas, & nobili-
tata prudentia: non necesse habeo, ungues mihi, ut dici-
tur, præmordere anxie; ut cum animo cogitem statuam-
que meo: ecquos nomini Vestro præferre atq; auctori-
tati debeam. Vos nimirum, si quis mortalium, ii estis;
qui totam hanc rem, quæ de peregrinatione in contro-
versiam venit, ingenii acumine penetrare potestis facile;
accuratè verò ad judicii libellam adpendere: quoniam

Multorum mores hominum vidistis, & urbes.

Quid dico vidistis? etiam cum Jasone reportastis in pa-
triam aureum vellus; hoc est, sapientiam

—— *ἀλλῆλῆσον κτῆμα τοῖς ἑροτοῖς:*

eamq; cum virtute utinam societate, ut indissolubili; sic
admirabili juxtâ planeq; invidendâ. Quo factum est;
ut nihil non gloriosum & utile pollicearis de Te patriæ
Tuæ, Principibus viris, Illustri familiæ, GENEROSE
SCHÖNAICHI: tantoq; hujus spei extulisti signum illu-
strius; quantò certius est: Te ut apes, non cantharidum

A ij more

more peregrinatum esse. Illæ enim, dùm
——— *floriferis in saltibus omnia libant;*
dulcissimam sanè exsugunt saluberrimamque mellugi-
nem: hæ venenum eliciunt, quo salutem hominum insi-
diari consueverunt.

TU VERÒ MAGNIFICESCULTE, quasi alter Phœ-
nix cum Achille decennium exteris tribuisses; jam diu
expromis de ornamentis Tuis, sapientiæq; raris dotibus:
quæ & grata sint Cæsari, & plurimis mortalium salutem;
Tibi verò in memoriæ templo monumentum concili-
ent æviternum. Tanti est, ita suscipere profectio-
nes ad externas gentes: ne postea reversis objici possit; quod
Socrates cuidam querenti, peregrinationes sibi nihil pro-
fuisse, Non immeritò; *inquit*, tibi istud eve-
nit: tecum enim peregrinabar. Quo sanè ar-
guto responso illud mihi docere videtur ab oraculo sa-
pientissimum mortaliū judicatus: quòd viaticum omnes
operamq; perdunt, &

Cælum, non animum mutant, qui trans mare currunt:
nisi præsentibus cogitationibus, non vagantibus, judi-
ciosissimâ attentione, non tumultuario obtutu, rimen-
tur, teneant, in pectus demittant *πάντα τὰ ἀξιωμακό-
νευλα*, patriæ olim, quod Vos, Viri cordatissimi, fecistis,
servitura. Accedit etiam illud ad hunc nuncupatio-
nis nostræ conatum: quòd non modò gratiæ vestræ in-
diciū fecistis erga has tales exercitationes; quòd Con-
sultores istos umbratiles benignè audivistis: sed in super
haud

haud abs re fore putastis: hæc ipsa tyrocinia nostræ Ju-
ventutis in adspectum lucemq; hominum proferri. Quâ
in re (dicam sine verborum involucris) penè opinionem
meam à judicio vestro segregâsem: quoniam animus
deficiebat; quo recurrebat identidem: nimis multa sibi,
licentiosa ac proterva nimis indulgere Momum, ejusque
satellites, qui sine plebiscito in Repub. literariâ jus suffra-
gandi sibi sumunt, & censoriam virgulâ usurpant. Quid
enim illi talo, ut dicitur, rectè stare solet? qui ipsis etiam
amœnissimis Gratiis, quibus in hoc opusculo non usque
adeò litatum fuit, nesciunt parcere; Venerisq; sandalium
culpant, cùm Venerem ipsam nequeant. Obsequortam-
en, & me attempero magnificis Vestris judicijs: quibus
opinor etiam mediocria opuscula, aut infra mediocritatem
elaborata, videntur tamen eò prodesse: ut vel usui
quorundam pateant; vel ingenia excitent, quæ in hanc
rem cogitationes altiùs defigant. Ac sanè tantò æquiori
animo patior, has dissertationes evulgari: quòd primitiæ
quàm sint efflorescentis nostri Gymnasi; spe mihi præsu-
mam: ex cordatis fore neminem: si quidquam hîc occur-
rat inconcinnius, qui Saturninum aliquod virus in nos
efflare ideò velit. Nam illud quidem in promptu est: diffi-
ciles esse rerū præclararū molitiones; difficillima earun-
dem initia: ut qui tùm requirat aliquid numeris suis ab-
solutum, imprudens sit; dixerim etiam injurius in hanc
ætatem, quæ adhuc Theseo opus habet. Verū enim verò
si nostri Declamatores ita me usi sunt Theseo: ut licet im-
presserim nonnullibi unguem aut obeliscum Criticum:

συναγραφήαν quoq; proposuerim dispositiunculæ: elo-
quutionis tamen universam structuram permiserim eo-
rū ingeniis, virib. industriæ: ut ipsi fabri operis sui & dici
& esse possent. Sed quid ego ad hanc rem orationē com-
paro? quasi nō exploratū sit, quòd quemadmodū cantu
avis se prodit, ungue leo, tinnitu nūmus: venatorq; vete-
ranus ab apro discernere cervū; vel ex impresso vestigio
potest: sic cujuslibet — χαρὰν ἤρ' ἐν λόγῳ γνωρίζεται.
Vos certè, Illustre par Virorum, id facillè animadvertitis;
pro egregia doctrina Vestra & judicij perspicaciâ: qua
cum, vehementer rogo, ut hanc benevolentiam conjun-
gere; & hoc opusculum nostrum in tutelares vestras ma-
nus recipere dignemini.

Facies Tu quidem, GENEROSE SCHÖNAICHI; qui
in difficili morbo meo, tum frequenti visitatione & ama-
bili solatio, tum liberali munificentiâ satis docuisti: quàm
me in oculis Tuis sinuq; geras. An me frustretur de te cō-
cepta spes amplissima, NOBIL.^m SCULTETE? Non sinet
id mascula cōstantia: quæ virtus nos mares præ sequiore
sexu, nisi expectorare nobis ipsi velim⁹ animū, decet ma-
ximè: q̄ in Te illustrib. adeò documentis eminet: ut vel
testis ego, ex infinito hominū genere, planum facere pos-
sim: quàm sis apertus candidusq; amādo eos, quos semel
benigno Tuo favonio adspiraveris. In hac fiducia finio:
& me porrò amori Vestro, non quod sciam ita opus fore,
sed ne migrem civilitatis leges, commendo.

Sic Vos benignissimus Sospitator DEUS cœlesti suâ
aurâ, ad omne salutis dignitatisque fastigium provehat.
B. V. Bethaniæ.

In literatum Cl. DORNAVI
Mercurium.

DUm teneris animis præcepta salubria vitæ,
DORNAVI, instillas eruta mente tuâ:
Na bene de studiis, & de florente mereris
Pube: tibi famam perpetuamq; paras.
Testes sunt operaq; tua, doctiq; labores:
BETHANIAM magnam queis celebremq; facis.
BETHANIE SCHÖNAICHIACO nunc munere surget:
Nomineq; ipsa suo tollet ad astra caput:
Victurum acquiret genium, pulchrumq; virebit,
Ob studia, innumeris anteferenda locis.
Quàm benè; DORNAVI, informas pulchreq; juventam;
Ire, manere, jubes: ire, manere, vetas.
Eligat utrumvis studijs addicta juvenus:
Sive aliò ire velit: sive manere velit.
Sat rationis habet: ducit sua quemq; voluptas:
Fas erit ire tibi: fasq; manere tibi.
Perge ita, DORNAVI: tibi præmia justa laborum;
Deneget ut mundus: non tamen ipse DEUS.
BETHANIES poterit sic inclarescere nomen:
Et SCHÖNAICHIADAS fama loquetur anus.

Observantiæ & honoris
ergò scribebat

Gregorius Richterius Gorlic.
Minister Ecclesiæ patriæ
primarius.

A L I U D.

MOrte resignavit quia lumina mitior Hermes:
 Cùm tibi jam legerent fila suprema Deæ:
 Inde Deo reddis revocatæ vota Salutis:
 Prodit Mercurius Nobiliore togâ.
 Nobiliore fatu genitos ut duxq; comesq;
 Ducat ad externos dexteriore viâ:
 Atq; animis non implicitis errore sinistro
 Monstret iter veri, sed sine labe, Boni.
 Macete animi reducis, membrorum & viribus auctis
 DORN AVI, tales promere perge Rosas:
 Sic neq; fata tuam poterunt convellere vitam:
 Ut struat insidias Atropos usq; tibi.

M. Elias Cûchler P. C.

A L I U D.

Οσον πῆμα ἔχοι ἀποδημίη, ὅσον ὄνειαρ:
 ἀμφοτέρων σαφέως δείκνυσιν ἡδὲ βίβλ. Θ.
 δεῦρο νέθ, καὶ τήνδε λαβὼν ἀνάγνωθι ἀόκνα ς,
 εὖ τ' ἀποδημήσαι νενεχέως τε μάθε.
 πειθαρχῶν δ' ἐσθλὸν φήσεις ποτε, ἔμμενα ἔργων
 μύθων τ' ὠφελίμων μήσορα ΔΟΡΝΑΒΙΟΝ.

M. Johannes Ludovicus.

CASPAR

CASPAR DORNAVIUS
 Philosoph. & Medicus

IN ILLUSTRIS GYMNASIO SCHÖNAICHIO
 Morum Profess. Lecturis

S. P. D.

His repugnantibus inter se naturis, ortu,
 loco, auctoritate dissidebant plurimum, Alci-
 biades, Ductor exercitus Attici, & Maximilianus
 Caesar, primus hujus nominis: unâ ta-
 men in re atq; actione eò usq; fuisse animatos
 accepimus ambos: ut conspirantibus votis idem sensisse, idem
 expetiisse videri queant. Nam Alcibiades ludum aliquan-
 do literarium ingressus, cùm posceret Homeri Iliada, Magi-
 sterq; negasset, sibi aliquod esse cum Poëtâ commercium: ex-
 cussissimâ manu colaphum misero impexit; abiit. Violentum
 facinus, non nego, hominis, ceterâ judiciosi; sed moribus mi-
 nimè approbis. Forte-an verò tum justâ indignatione com-
 movebatur: in tantâ vita perplexitate atq; incertitudine,
 non optima quæq; à Juventutis Magistro, & maturrimè pro-
 poni adolescentibus ea; quibus, ut agebat Aristippus, viri o-
 lim facti, in universâ vitâ uterentur: qualia certum est ab
 Homero tradi; quandoq; præceptis, exëplis maximè illustrari.
 Porrò Maximilianum, cùm Romanorum Rex dudum insi-
 gnitus esset, recordatum puerilis suæ informationis, dixisse
 B ferunt:

ferunt: Si Petrus Engelbertus, Præceptor quondam meus, adhuc in vivis esset: quanquã multa debeamus mentium nostrarum formatoribus: efficerem profectò; ut institutionis illum suæ poeniteret. Severa hac vox nimis, & bile perfusa atq; acerbo aceto videri poterit! Sive enim Petri cum animis nostris doctrinam cogitemus, & pietatem: neutra vel proletaria fuit adeò, vel improba nota: cum dignitatem Præsulis Novæ Civitatis in Austria promeruerit: sive respiciamus indolem Casaris augustissimi: erat ille tam exposita facilitatis ac benignitatis: ut verecundates sæpè, sæpè extorres, tantillum de se meritos, beneficiis ultrò provocaret. Quæ itaq; mens illi, quis rancor animi adversus alterum parentem? Videlicet Petrum illum, quem dico, destituerat peritia docendi, cumq; delectu rerum conjungenda prudentia: quæ ut in cæteris rebus omnibus anima est bene agendi: ita in hominum institutione utramq; quod dicitur, paginam facit. Nam & plagosus erat nimium Engelbertus: & adolescentis Regij acre, cupidum capaxq; ingenium sublimioris scientiæ onerabat sophismatis: inculcabat ei captiosas & aculeatas quasiunculas: quasi schola discere principem, non vita potius oporteret: cui tot hominum capita fortunæq; crederentur. Verumenimverò hunc communem errorem errant homines pleriq; ut ignorent utilia; quia didicerunt inutilia: prætermittantq; ἐργα; quia τὰ ἀγεργα illis fuerunt in deliciis. Ad ejusmodi scopulos ne naniculam suam illidat Furventus nostra literaria: Professorum hujus Gymnastii in eo communis fixa est locataq; industria: ut non qualibet cuivis ingerantur publicitùs: sed ea demum, quæ si

pede

pede sicco praterirentur, vita hæc foret mortua, aut viri hominis sepultura. Perinde & boni patris familias est; cui candidatus sapientiæ comparari meritissimò debet: non emere omnia, quæ prospiciat fore usui: sed quibus planè carere nequeat. Nihil autem divinius, post actuosum pietatis honestatisq; exercitium, dici aut fingi potest: quàm mentis & lingua cultum ita counire: ut, cum locupletaris illam scientiæ rerum utilium; hanc necesse are quodam perfuderis sua vi loquentiæ; possis, in quamcumq; vitæ partem te dederis;

Et sapere, & doctis rationem reddere dictis.

Cujus rei amœnitas juxta & consilium nostrum ut aequè ijs, qui sub alio cælo degunt, atq; civibus nostris literarijs, quasi quædam ἀποστολή innotesceret: producendi erant nonnulli ex Auditoribus publicis: non quò illi proderent specimen aliquod exquisita vel prudentiæ, vel eloquentiæ: quippe se paucissimis utraq; indulgere solet; ne dum ætati adobescentiori. Quid ergo? illi qui sub nostris vexillis merent, aptandi videbantur rebus gerendis per ista τρωονυβάσματα & palastram Bonæ mentis: non secus atq; miles lusorijs certaminib. pugna sese preparat. Instituent autem amicam inter se velitationem adolescentes isti ac juvenes, de quorum studiis, atq; integritate vitæ benè ominabimur.

Nominibus	{	Præsidis	Sebaldus à Sack & Pirschez, Eques Siles. Consultationem proponet, moderabitur, concludet secundum suffragia affirmando suadentium.	} peregrinationem.
		Eubuli	Christophorus à Vvedel Eques Marchiac. suadebit	
		Philoxeni	Nicolaus Laureus Siemienicensis Polonus dissuadebit	
		Symmachi	Michael VVieder Elbingens. Borussiae dissuadebit	
		Lysimachi	Melchior Calartus Bethanienf. Siles. suadebit	
		Philalethæ	Hieronymus à Gersdorff Eques Lusat. dissuadebit	
		Eunomi	Bzechiel Cornerus Præroviens. Moravus suadebit	
Dicastæ	VVencesl. Gallus à Raustein Trebonens. Boh. dissuadebit			
Thrasymbuli	Vladislaus Goraisky de Gorai Eques Polonus suadebit			

B ij

Contro-

Controversia erit, ut modò indicium factum, incruenta, tuta, liberalis, jucunda; nec minùs fructuosa: utrùm suscipienda sit, an negligenda peregrinatio Adolescenti, sive Principi, sive alioqui in spem Reip. nato aut formando. Occurrebat enim commodè: idem argumentũ in sanctiori quondam consilio Guilielmi Ducis Clivia priùs, quàm Carolus filius in Italiam, Galliam, Germaniam emitteretur, variatis sententiis fuisse pertractatum: ut in sapientissimo suo Hercule Prodicio notavit Stephanus VVinandus Pighius, ipse sapientissimus. Isti consultores umbratiles perendie, quæ dies erit IIX. Novembr. statim ab auditâ octavâ matutinâ, cum Bono Deo, different, in supremo auditorio, adversarijs in utramq; partem oratiunculis, alio atq; alio argumentorum apparatu; instructi priùs nudarum dispositionum adminiculis ad hunc actum: quem me amplissimus hujus Gymnasi senatus designare voluit. Vos, qui de liberalissimis exercitijs honesta judicia facere soletis, pulchrumq; putatis, gratiosâ audientiâ excitare vernantia Juventutis ingenia: demite quaso de gravioribus vestris negociis unicum, quod huic $\chi\alpha\rho\iota\sigma\eta\lambda\omega$ impendatis bitorium. Nos alijs officiorum generibus pariare vicissim connitemur. Quisquis verò nomen Tuum professus es jurisdictioni nostrâ scholastica, ades ultrò; & cum lubentiâ quâdam imitandi commilitones Tuos

His animum succinge bonis: sic flumine largo
Plenus Pierio diffundes pectore verba.

Neg, verò deinceps campus ejusmodi deerit, in quo versetur juventutis industria: adventuro intrâ paucas dieculas, ut speramus, ipso Eloquëtia Professore, Viro & ab ingenij præsidijs

dijs & ornamentis doctrinæ commendatissimo. Sic nos Deus undiquaq; provehat favonio sua gratiæ: ut, quod agimus, feliciter agamus, veteri verbo, voto autem communi, ad Ecclesiæ salutem Reiq; publicæ commodum & ornamentum. Bethania ad Oderam, inter langvores ex febre difficili atq; malignâ: quâ me bis uno anno adfectum voluit Deus: quem nihilominus, sive blanditur, Patrem complector: sive castigat, Patrem veneror. P. P. VI. Novemb. An. c1515 cxvi.

PRÆSIDIS ORATIO
PRÆLIMINARIS.



Voties Platonem audio gratias naturæ agere consuevisse: quòd homo potiùs, quàm brutum; mas quàm fœmina; Græcus, quàm barbarus; Atheniensis, quàm Thebanus; adeoq; temporibus Socratis esset natus: toties nostram maximoperè suspicere ac depradicare solco felicitatem. Quod nisi facerem; impius essem & ingratus in salutis nostræ authorem. Quamvis enim beneficia, de quibus Philosophorum ille Deus sibi gratulatur, sint longè maxima: plurimis tamen numeris majora & præstantiora sunt ea; quæ Christianis nobis, à DEO immortali, datore omnis boni, confertim sunt tributa. Nam ut latere patiar stupendum & admirandum redemptionis nostræ opus: ut nihil dicam de clarissimâ illâ veritatis luce, in animis nostris accensâ, religionis puritate, alijsq; immēsis beneficiis, quib. carnêre Ethnicis quanti illud faciendum nobis esse arbitramini: quòd supremus rerum arbiter, in Republicâ nostrâ, non lupum nobis præfecit; sed pastorem: non tyrannum; sed principem pium, probum ac sapien-

tem; eidemq; hæredem dedit, non degenerem, non fraudibus se-
culi corruptum; sed optimæ indolis ac spei; sed virtutum omnium
studiosum, & quoddam quasi humani generis delictum? Tanta,
mihi credite, illius beneficii est amplitudo, tanta dignitas; quan-
tam ne mens quidem cujusquam cogitando assequi, ne dum lin-
gvâ dicendo exprimere possit. Quis ergo nostrum non frequen-
ter DEO, quantas animo & mente concipere potest, gratias agat?
quis non eundem, ut nos tanto munere quàm diutissimè frui sinat,
assiduis votis ac precibus veneretur? Id autem tum demum voti
compotes facti, impetrabimus: quum ipsi etiam laborabimus, &
quantum viribus eniti, consilio providere, iudicio adsequi possu-
mus; id omne ad tanti boni, sospitatore benignissimo DEO, con-
servationem atq; augmentum conferemus. Atq; hæc potissi-
mum res, ut hunc in locum vos rogarem, me impulit; dicam re-
ctius, coëgit. Non equidem de bello suscipiendo; non de lega-
tionibus expediendis; non de adornanda venatione nunc con-
sultandum; sed de illius salute & incolumitate commutandæ sunt
sententiæ; cujus salus nostra est salus, & à cujus educatione atque
informatione, patriæ nostræ universæ pender felicitas: de Princi-
pis filio me loqui, non dubito quin intelligatis. Neque enim es-
tis nescii, eam jam illum, DEI gratia, ætatis partem attigisse; in
qua pleriq; generosâ & heroicâ oriundi familiâ, patriâ & parenti-
bus tantisper relictis, aliò se conferunt: quò rectius faciliusq; pu-
eriles ineptias dediscere, & probatos aliorum mores, in ætatis illâ
teneritate, imbibere queant. Licet autem gratiosissimus adole-
scens ejus rei sit percupidus; & jam diu petalum gestiat sumere: di-
versæ tamen multorum opiniones subdubitare faciunt Illustris-
simum Parentem: utrum debeat annuere votis filii, an minùs.
Ne igitur temere quid statuatur, quod vel sibi olim poenitentiam, te-
meritatis pedissequam; vel filio periculum, comitem impruden-
tiæ, accersere queat; diligenti hæc de re consultatione opus esse ra-
tus, provinciam mihi, vestra singulorum exquirendi suffragia; &
utrum è re magis judicaveritis, domi manere, an peregrinari il-
lum; ex plurium votis concludendi demandavit. Agite igitur,
si principis vestri salus vobis curæ est cordiq; si Reipubl si patriæ,
si vobis ipsi consultum vultis; consulite in medium; req; ad Ly-
dium,

dium, (quod ajunt) lapidem examinata, quod sua cuiq; dicat ra-
tio, non quod adfectus objicit, exponite; & exponite liberè, candi-
dè, apertè, breviter, a motis procul iis omnibus; quæ animos Iudi-
cum perturbare, & veritatis inquirendæ rationem impedire so-
lent: Id quod etiã sine meis monitis, facturos vos planè confido.
Ipsi enim, quæ vestra prudentia est, nostis; eandem esse rationem
animi affectuum sordibus inquinati; quæ est oculi fumo turbati,
cujusve tunicæ vitiatæ alieno colore fuerint. Quemadmodum
enim hic veram rei aspectabilis formã cernere, atq; intra globum
ipsum recipere nequam potest: sic veritatem in consiliis mini-
mè perspicit, quisquis pro ratione adfectum in iudicium adhibet.
Equidem me quod attinet, quid hæc de re sentiendum sit, scio; me-
cumq; etiam præmeditatus exponam: sed ubi vos priùs, quid senti-
tatis singuli, audivero. Etsi enim nihil obstaret; quin primitus
expromerem animi mei sensa: quod in multis curiis ad tribuna-
lia haud pauciora fieri accepimus: ne tamen præiudicio meo oner-
rare quenquam, aut absterre à *παρρησία* velle videar; hujus sanè
loci consuetudini lubens, meritoq; obsecundabo.

Dic tu primus Eubule,
quid sentias.



EUBULI ORATIO I.



*S*apienter ac præclarè, meo quidem iudicio, in
Areopago ab Atheniensibus constitutum fuit: ut non con-
sulturi modò, sed etiam de rebus quibuscunq; dicturi, à re
ipsâ statim orationes suas auspicarentur: nec longis præ-
loquijs essent audientibus molesti. Nam præter sapien-
tissimos quosque viros, quotidiana etiam comprobatur expe-
riencia: ex ordiorum prolixitate & circumductione Asiaticâ tum suspensos
teneri & quodammodo irretitos hominum animos; tum sæpenumero à re ipsâ
abduci

abduci planè, & ad alias cogitationes abripi. Quod quàm molestum ac periculosum sit, aequè illi qui dicit, atq; iis qui audiunt; conjecturâ quivis facile assequi potest. Quocircâ ne ego quoque meam qualemcunq; orationis cymbam ad hos scopulos allidam: atquè per imprudentiam, qua feracissima est erroris nutrix, vel vobis molestiam, vel mihi periculum aliquod creem: omisis iis omnibus, qua sententia mea haud incommodè pramitti posse videbantur: sine longiori præfatione breviter, simpliciterq; quid in hac controversiâ videatur faciendum, exponam; ut res qua in consilio versatur, faciat ad Regis regem, & Domini dominantium gloriam: ad Principis nostri salutem, patriâq; universa emolumentum. Considerans autem rem diligentius, & aurificis (quod dicitur) staterâ trutinans; nihil magis principi nostro adolescenti prudentiam ac pietatem conferre posse video: quàm videre terras, ————— alio sub sole jacentes: istosq; nomine peregrinandi potestatem ei non denegandam, sed faciendam esse contendo. Quis enim, obsecro, est tam nullius sensitus, & in rebus humanis hospes, ut nesciat? vel tam injustus rerum aestimator, ut negare ausu? peregrinationem unicum esse adminiculum juxta & instrumentum, quo πολυτροπία, seu variorum morum scientiam, atq; aptitudinem comparare nobis possimus? Nonne enim, dum varias nationes adimus; varia & diversa sese nobis offerunt hominum genera? quibuscum si conversemur; non possumus non mores eorum, imò vitam omnem penitus cognoscere: non secus atq; in tabernâ unguentariâ qui consederint, odorem loci & contrahunt facile & diutissime secum circumferunt. Quâ in re nolim esse obscurus: vos qua dicam, altiùs expendite. Etenim peregrinanti modò cum principibus, modò cum regibus, modò cum inferioris subsellii hominibus est agendum: unde facile perspicere potes; qualem erga parem, qualem erga superiorem, qualem erga inferiorem te gerere debeas: ut omnium gratiam atq; amorem tibi concilies; laudemq; haud vulgarem adipiscaris. Equidem, qualis apud pares esse debeas cognoscis: quoties nobilibus virisque principibus numero plurimis, autoritate gravissimis te adjungis, cum iisq; conversaris: qui honor superiori deferendus sit, doceris, quùm salutas compellasq; reges: quid deniq; inferioribus præstare te deceat, discis; ubi agricolarum, nautarum, equisonum, opificum, militum, philosophorum, consiliariorum conversatione uteris, experimentumq; facies: quòd ex infimâ hominum plebe

saepè etiam est olitor valde oportuna loquutus.

Ex quo apparet, opinor: si dicendum quod res est: ejusmodi cum variis hominibus

minimus consuetudinem Principi tam utilem esse, quam qua res utilissima. Absit autem quis existimet: eam tantummodò ad naturas, ingenia, studia variorum hominum cognoscenda conducere: absit, inquam, hanc quis animo suo imbibat opinionem. Nam ad fructum hunc, omni non modò contentione, sed dimicatione etiam dignissimum, accedit illa quoque longè maxima utilitas: quòd inde palàm fit, quis honor omnibus omnium etatum ac ordinum hominibus debeatur: quòd officium in universa vita, tam probè cognoscit: ut neq; ex diligenti ac fideli praeceptoris informatione, neq; ex assidua & indefessa plurimorum librorum evolutione meliùs & accuratius percipere id possit. Quanto autem haec res Principi sit ornamento, pariter & emolumento; nemo est qui non videat: nisi fortè ad solem meridianum nyctivocatus more, caecutiire velit. Multae quidem sunt virtutes, qua Principem plurimum ornare, subditisq; gratum & acceptum reddere solent: quas in eo admirantur mortales, & summis laudum encomiis in caelum usq; evehunt: sed ausim affirmare sine rubore, quòd in causa evidenti justaq; concedet: nullam ex omnibus virtutibus eum commendare vehementiùs aut ornare meliùs, quàm hac, quam modò nominavi, scientia. Princeps enim, ad rerum gubernacula sedens, quasi in theatro quodam amplissimo est expositus; in omnium versatur oculus. Quo fit; ut non modò cum parentibus, cum fratribus, cum sororibus, uxore, liberis, aliisq; domesticis colloquia ei sint instituenda, moribus sanè & modis longè diversissimis: sed etiam cum omnium ordinum hominibus agendum. Quomodo autem laudabiliter, & cum aliquâ dignitate poterit personam sustinere suam: nisi diversos priùs diversorum hominum mores atq; instituta didicerit: ut omnium satisfaciat & animis, & auribus, & oculis. Ulysses intuemini: unde ille prudentis nomen est consequutus? nullâ certè ex re aliâ, quàm optimâ multorum morum cognitione, qua illi incredibilem quandam elegantiam venustatemq; conciliaverat. Verùm facile vos ipsi, Collegae, quàm necessaria sit Principi variorum morum cognitio per vos potestis dignoscere. Nam ut demum is nauclerus evadit peritus, qui clavum ipse manu terit,prehendit, versat, dirigit: ut ille demum arator sapit; nec facile delirat, qui ipse stivam quandòq; manu regere discit: ut deniq; is demum, de Quintiliani sententiâ, oratoris nomen & omen habet, qui in Rhetorum priùs ac Sophistarum scholis diu multumq; jaectatus fuerit: sic is demum Princeps ritè suo perfungitur munere; qui inter varios homines variorum exploravit naturas. Pietatem autem, omnium virtutum reginam ex eodem peregrinationis fonte dimanare, tam clarum

C ac ma-

ac manifestum est; ut qui illud negare velit, nivem atram cum Anaxagora nominare, & nullum planè rerum usum habere videatur. Quis enim tam hebes est, ac stupidus, ut nesciat, principium pietatis esse veram veri Dei agnitionem? Quùm autem agnitio illa Dei, ipso etiam gentium Apostolo teste, ex libro natura prosuat: perindeq; Deus cognoscatur ex suis operibus, ut ex opere artifex: nemo certè nisi absurdus homo pietatem peregrinando optimè acquiri posse, inficiari poterit. Peregrinatio enim clavis illa est, quã aperitur liber natura: Peregrinatio plurima nobis divina potentia, bonitatis, sapientia & justitia spectacula exhibet; & exhibet tam clarè & perspicuè: ut ipsissimam Dei essentiam nobis videre, Deumq; ipsum quasi palpare videamur. Peregrinatio omnia penè natura miracula, quæ quùm intuemur præpotentem simul eorundem effectorem animo contemplamur, oculis nostris subjicit. Nam si ad maritima te contuleris loca: nonnè miraberis Dei potentiam in fluxu refluxuq; maris, qui statis temporibus fieri solet: si ì veris in Borussia, ferreus eris; nisi te in venerationem creatoris abripiat succinum, quod tibi in occursum eructabit mare Balticum. Videbitur Deus oculis tuis: si in Hyberniam ingressus, lacum, qui lignum in ferrum mutat, summã cum admiratione intueberis. In Scotiam si deveneris; in insulas ventorum vi hinc inde commotas, natate: anseres in Orcade insulã videbis: qui in arboribus salici persimilibus nascuntur intra parvas pilas: quumq; ad maturitatis tempus pervenerint, sui ipsarum nixu ab arboribus excussa, in mare subterlabens decidunt, evolant. Si adieris Indos: conspicias formicas, vulpium aut luporum magnitudine. Si in Siciliam, in Italiam vel Islandiam veneris, ad Aetnam, Vesuvium, Heclam; horribiles montium ejulatus audies: qua res tantoperè commovit Adrianum Cæsarem; ut indaganda causa gratiã, cur Aetna flammam evomeret, simulq; crateres cerne- ret, in ipsas crepidines montis se immitteret. Si deniq; in Gallia Delphinatum profectus fueris; aquam in saccari formam, mirabili modò indurescere, variis figuris deprehendes: fontem item invenies perpetuo igne ardentem, maximè cælo pluvio; in quem quidquid injeceris, comburitur. Quæ omnia nisi quem moveant, pectus feriant, mentemq; percellant: ut Deum fateatur sapientem juxta & tremenda majestatis: cum ipsis cyclopiis, qui in Aetnã degere dicti sunt, immaniolem esse, aut duriolem Marpesiã caute, certum est. Taceo tot amana tempe: prætereo fragrantissimã quæq; viridaria: nihil dico de montibus admiranda altitudinis; mitto hortos, arborum varietate conspicuos, pulcherrimisq; refertos floribus: in quibus nomen Dei quasi

quasi præscriptum videas. Silentio deniq; involvo alia miracula penè infinita; quæ ita sunt comparata; ut si contempleris ea diligentius; singula tibi Dei majestatem, sapientiam & justitiam, quasi digitis monstrare videantur. Intelligere vos arbitror Assessores: qualem habituri simus Principem, postquam fuerit peregrinatus: prudentem nimirum, & pium, qui non tantum quid hominibus singulis; verum etiam quid Deo debeatur, noverit: & noverit ita; ut rectè cum omnium ordinum hominibus conversetur, & Deum ritè colat. O felicem patriam nostram, si ejusmodi nacta fuerit moderatorem! O ter quaterq; beatum principem nostrum; si hoc in instituto muneri sui partibus non defuerit! O quanto amore sibi tum civis omnes, ipsumq; Deum conciliabit! O quàm præclarum habebimus ducem, cum ad virtutes alias omnes, tum maximè ad pietatem, quæ ad omnia est utilis, promissionemq; habet & hujus & aeternæ felicitatis!



PRÆSIDIS INTERPELLATIO.

Video te pedibus ire in sententiam adfirmantem, Eubule. Nihil minùs tamen gratus mihi fores; licet aliam opinionem concepisses. Nunc tu dicito Philoxene.

PHILOXENI ORATIO II.



Ratulor mihi, majoremq; in modum gaudeo, dignissime Præses: quòd libertatem suffragandi, animiq; nostri sensa exponendi tantã facilitate, non minori prudentiã, nobis concesseris. Sic enim fiet; ut nos vestigiis veneranda antiquitatis insistentes, avitum patriumq; morem imitantes, penetrabilia pectoris nostri denudemus; & quod ex usu Reipublica nostra maximè esse videbitur, nihil dissimulemus: quum misera sit curia elingvis, & in quã verba intra dentes continere necesse sit. Ego itaq; hac invitatione permotus, nihil neq; gratia daturus, neq; odio; liberè, candidè, ac sine omni metu, aut quovis alio adfectu (quem pestem

pellem optimorum consiliorum esse novi, sententiam meam explicabo; longisq; verborum ambagibus omisis, rem ipsam rectè aggrediar. Multa quidem, fateor, splendide & ornate à Te sunt in medium allata, Collega optime: Tua tamen orationi assentiri non possum: nec, opinor, alius ita satis fecisti iudicio tuo; ut in illo praesidium aliquod utilitati publicae quasi esset videatur: quo nomine in medium allata argumenta, admodum infirma & levia esse demonstrabo. Scio à plerisque, tanquam Achillem argumentum obtendi: peregrinationem suppeditare prudentiam: quàm in re videntur illi discedere ab ipsa prudentiâ, qui ea alibi quarere iubent, quorum copiam domi habemus. Nonne hoc beneficium Principi praestabunt in patriâ bona litera? Nonne optima studia, quae animos nostros alunt, & optimos quoq; ad immortalitatem ducunt, eam illi suppeditabunt? Quam enim mihi causam nominabunt Patroni isti Mercuriales: quòd antiquitas fabuletur, Musas in bicipite suo monte non discurrere, sed placidè considerare? nisi ut doceant, quod res est: prudentiam disci otio literario, minimè omnium vacationibus. Quid verò historia, quae lux veritatis, vita memoria, & magistra nuncupatur? Nam illa experientia, quae peregrinatione comparatur, nullâ ratione ampla esse potest; quippe quae cum paucis hominibus instituitur: exiguo temporis spatio perficitur; cumq; is, qui adhuc in vivis sunt, maximo cum discrimine vitæ initur. Hac verò, quam historia ingerit, latissimè patet: hac nullis finibus terminatur: hac per omnes orbis cum privatarum, tum publicarum rerum partes sese diffundit: facit, ut omnium gentium ortus noveris, progressus, statuta: repetit omnium seculorum memoriam: efficit, ut cum mortuis quoq; conversari possis: deniq; ut vixisse omnibus temporibus, etiam tot retrò seculis: ut interfuisse omnibus deliberationibus: deniq; ut dicta factaq; omnia, ac prater ista omnes etiam mundi plagas perlustrasse in civitate Tua, in aedibus, in Museo Tuo videaris. Hic Parthenopolin, hic Lutetias, Ulyssiponem, Byzantium, Quinsajam, Cairum videbis. Hic Christum in carne, Paulum in suggestu, Romam triumphantem spectabis. Hic se offeret Curtius vitam pro patria paciscens: hic Atilius vitam, quam fidem amittere mavult. Nec aliud fuit iudicium praestantissimorum quorumq; rerum publicarum gubernatorum: qui ad studium historicum, tanquam ad portum sese recipiebant: ex illo relaxationem, oblectamentum animi, & ipsa rerum gerendarum consilia hauriebant. Imprimis autem meam sententiam comprobat invictissimus ille orbis terrarum domitor ac triumphator Alexander Magnus, qui sine Homero ne somnum quidem cepit. Confirmat

eandem fortissimus ille Romanorum Imperatorum Scipio à devicto Hannibale expugnatq; Carthagine, dictus Africanus: qui Xenophontis Cyripadiam de manu nunquam deposuit: unde virtutem sibi & sapientia ea comparavit ornamenta & adminicula: ut non solum maximabella pro salute Romani imperii pari prudentiâ, pari felicitate gesserit: sed barbaris etiam atq; infestis praedonibus exstiterit inviolatus. Haud alieno animo ab historia fuit illud Graecae facundia miraculum, Demosthenes, qui Thucydiden octies manu suâ descripsit. Idem Selimus sensit Turcarum Imperator, Solimanni, Vicinia Austria oppugnatore pater; prater morem Ottomannica familia, perparum tribuere solita humanioribus literis. Is C. I. Caesaris commentarios, ut assidue legeret, in vernaculam linguam transferri curavit. Idem agebat laudatissimus ac invictissimus Romanorum Imperator Carolus V. ille, quem mirata est majorum aetas; postquam in eo cum virtute certasse fortuna diceretur: qui Cominei lectione in gravissimis occupationibus fuit delectatus. At variorum morum cognitionem suppeditare peregrinationem dicebatur? Ne hoc quidem peregrinationi tribuere possum: quòd in promptu sint in aulâ domesticâ adminicula quamplurima: quae testantur, venustatem elegantiamq; morum multò facilius, ac utilius à principe in patria disci posse. Habet enim in aula sua viros industrios, ex variis terris conquisitos: qui non solum praclaras orbis regiones lustrarunt; mores ac consuetudines cognoverunt: sed etiam ingenia variarum gentium perspexerunt: ut noverint,

quid distent cerva lupinis.

Ab istis cognoscere adolescens princeps morum varietatem & venustatem poterit. Sed quorsum de exteris moribus sollicitus sit? sciat, sciat suorum civium mores; cognoscat patrias leges; imprimis verò studia, indolem, mores eorum, quibus olim imperaturus est: exploret ea omnia domi-mansionem. Fit enim plerumque; ut quemadmodum lamia Homerica foris aptabant oculos; domi caecutiebant: sic, qui exterorum instituta rimantur, mores ac consuetudines plus iusto diligentius contemplantur; in patria sine hospites, legumq; suarum imperitissimi. Quae res facit, ut Princeps in media suorum turba suos ignoret: ignorantia impudentiam gignat, & paulò post ruinam consequuturam. Non itaq; frustra Aglaum quondam senem licet invidâ paupertate pressum, oraculo Delphico Gygi Lydorum regi amplissimo felicitate pralatum esse accepimus: quòd praedii sui in quo natus esset, limites nunquam fuisset egressus. Ac sanè nescio, possitne vicina patria mea Moscovia pradicari felix? aut plusculum à nobis dissitum Anglia regnum videri

deri beatum? ubi procerum filiis, qui in spem Reipubl. educantur, prohibitum est sine Ducis scitu, aut Regis edicto ad nationes externas proficisci. Inveniuntur etiam, qui & disseminarunt sermonibus, & commentariis suis ad posteros transmisserunt: Ioannem Zamoscium (at quantum virum, Deus immortalis! qualem quidem vix parem nostra vidit atas) illum inquam, laborasse multorum invidia: qui optimè de patria merito peregrinam institutionem, scholasq; exterarum dictionibus & scriptis suis expròbàrunt. Quo factum opinantur nonnulli; ut Filio suo, ultima voluntatis vigore injunxerit: ne ille, paterna possessionis virtutisq; hares vel ad Italos excurreret, vel Gallos, vel quoscumq; tandem peregrinos. Dicitur porro fuit peregrinatem discere pietatem ex variis natura miraculis hinc inde conspèctis. *Esto; non nego. Sed quid est, per Deum immortalem! quò tandem quis oculos suos converterit; quod non singularem Dei clementiam, potentiam, & in condendis servandisq; rebus cum bonitatem, tum sapientiam predicet? quid non totum humanum genus ad laudem & celebrationem divina majestatis invitet? quid, quod non ad summam devotionem inflammet? Totus, totus mundus, imò minimus ejus etiam abjectissimus angulus est liber quidam; in quo legere possis creatoris potentiam ac bonitatem. Mitto nunc pulcherrimum ordinem ac seriem temporum: prætereo diversas rerum vicissitudines: taceo alia ingentia divina clementia testimonia: ad minima, & qua vulgò habentur in rebus non modò vilibus, sed perniciosis quoq; unumquemq; invito: & ut diligenter ea consideret ac perpendat, rogo. Videtis vel minimam plantam; quam ea quasi in fronte gerit notam creatoris sui: Vide animalcula, formicas, apiculas, qua principi egregia symbola gerenda Reip. subministrat. Quid ipsa musca, de cujus tamen molestia conquerimur? parùm abest, quin beatus ille Ecclesia Dei Antistes Divus Augustinus eam ipsissimo soli præferat. Ejus verba ut gravissima, ita auditu jucundissima quæso cognoscite. Si quis, inquit Divus Augustinus, ex me quærat, num etiam muscæ animam huic solis luci præstare censerem? responderem, Etiam. Nec me terret musca, quòd parva est. Quæritur. n. quid illa membra tam exigua vegetet? quid huc atque illuc pro naturali appetitu tantillum corpusculum ducat? quid currentes pedes in numerum moveat? quid volantis pennulas moderetur ac vibret? Quod quaecumq; est; benè considerantibus in tam parvo tam magnum eminet; ut cuius fulgori perstringenti oculos præferatur. *Hac quàm piè ac prudenter sanctissimus vir de tam abjecto animali protulerit; omnes**

omnes sana mentis facile judicare possunt. Natura enim nunquam magis, quàm in minimis tota est: nunquam magnificentius triumphat; quàm in rebus exilibus, undiquaq; se ad spectum nostro ingerentibus. Quod Heraclicus sensit; ille, qui res hominum lacrymantibus semper oculis deploravit: quippe conversus ad eos, qui se alloqui verebantur, quòd fortè in casâ furnariâ sederet; ingredi eos fidenter jussit; quoniam, inquit, ne huic quidem loco dii defunt immortales. Patet igitur, ne longius evagetur oratio nostra, bonis literis, in primis verò studio historico, domi rerum expetendarum scientiam rectius addisci: liquet virorum doctorum consuetudine in aulâ paternâ *σοφιστικῶν* comparari posse: constat diligentem considerationem operum divinorum ubiq; locorum pietatem, & materiam celebrandi Deum immortalem omnibus suppeditare. Qua, quàm ita sint; ut veriora sunt: quorsum quæso Princeps his turbatis temporibus excurrat, & vitam suam se visissimis periculis committat? Ego sic sentio, & cum Plutarcho concludo: Cui peregrinatio dulcis, amara patria est: cui dulcis patria, amara peregrinatio: quibus nihil boni est domi, jucunda peregrinatio. *Dixi.*

PRÆSIDIS INTERPELLATIO.

Philoxenus non vult esse Philoxenus:
quia ab exteris & hospitibus abhorret.
Dictu Symmache.

SYMMACHI ORATIO III.



Enatorem pedarium semper agere: & quicquid alii affirmarint, affirmare; quicquid negarint, negare; nullâ adhibita in consilium ratione: id turpitudinis notam istius ordinis homini inurere nemo ignorat. Homines enim qui ita sunt nati factive, tam nullius sunt ingenij, tam nullis à natura instructi dotibus: ut nequeant momenta aliqua consilii excogitare ipsi: unde aliquod sua cujusdam scientia & judicij

judicii specimen edant. Perum & vicissim qui frontem non omnino perfr-
cuerit, fateatur oportet: esse etiam illud pertinacissimi ingenii, viriq; mini-
mè frugi: veritati, quamvis clarior exstet luce meridianâ temerè & datâ
operâ contradicere. Quod si ergo hujus ratio habenda est, quâ nihil pul-
chrius, nihil prestantius dici cogitari ve potest: ego cerè à collega mei sen-
tentiâ modò allatâ, opinionem meam minimè segregare possum: nisi forsan
ex illorum numero & dici & esse velim: qui ex aliorum vituperationibus
& tirillatione contradicendi aliis, ingenii laudem venantur. Quapro-
pter principi adolescenti peregrinationem nullâ ratione suscipiendam esse du-
co: & duco non temere, aut levi de causâ; sed gravissimis nationibus addu-
ctus atq; persuasus. Quis enim vestrum tam est rerum omnium ignarus,
qui nesciat: externa vitia ab exteris populis in patriam introduci. Nonne
olim Germani à candore, constantiâ, pudicitiâ clari fuerunt ad miraculum
usque? Nonne propter masculam fortitudinem laude floruerunt, utq; ad
invidiam? à Platone viro sapienti, aliquando publicitùs, magnâ hominum
coronâ adstante, exclamatum fuit: Nullos mortalium armis, nullam gen-
tem fide ante Germanos esse. Quid vero nunc? an adhuc gaudent cele-
branturq; laude istâ Germani? Gauderent equidem nisi bonos mores immu-
tasset & evertisset peregrinatio; quæ id mali in se habet: ut patria mores di-
urnare non sinat: sed convellat funditùs, evertat penitùs? Unde enim levi-
tatem, impudentiam unde, unde simulationem & dissimulationem, unde
ferociam discimus? Nonne à Gallis? Avaritiam & sordes unde, arro-
gantiam unde, malignitatem unde, socordiam unde, pertinaciam unde, su-
perstitionem unde haurimus? nonne ab Hispanis? Quis vanitatem; quis
captiones? quis libidines? quis acerbitatem? quis insidias introduxit? non-
ne reversi ab Italis? mollires, luxuria, prodigalitas, licentia, dolus unde
est? nonne à Britannis. A Belgis quoq; dicacitatem introductam, conten-
tiones, temulentiam, quis adeò peregrinus in hoc mundi teatro versatur,
quem lateat? Ne autem Germani veteres his corruptelis inficerentur, &
contagium vitiorum attraherent; à peregrinationibus exterorumq; com-
merciis abstinebant: indigenis artibus & agriculturâ contenti: aleam, lu-
sum pilæ, gladiatoriam, tripudiatariam, quibus maximè peregrinati dele-
ctantur, inania & vilia esse ducebant. Neq; verò labes tantùm ab exte-
ris introducitur: verùm & gestus, contra gravitatem gentis nostræ levissi-
mi & pleriq; vanitatis pleni inde afferuntur. An non dedecent ista? sca-
pulas nonnihil adductas comprimere, excipere atq; salutare amicum, proje-

Et col-

Et collo, gravis instar; pedibus terram verrentibus, more calcitrantis equi?
manum, tibiam, genu, pedes, vestimenti extremitatem libare, quasi ad
Deastri cujusdam Ethnici statuam procumbas? capillum in gyros frangere,
quod Veneris nepotuli faciunt? mollires cum fœminis certare, (verba sunt
Seneca,) ad numerum ire, garrere, fallere? Quid? quos domi amicos reli-
querant, non amplius norunt; nec salutatione dignos judicant; omnes præ se
contemnunt: quasi ipsi gesticulationibus suis soli rerum potirentur. Nonne
satis foret observasse mores illos Germaniæ veteres, & vivendi genus agre-
ste: quo cum simplicitas quadam conjuncta est! Si enim prisca historico-
rum scripta pervolvimus, & accuratius parum examinamus: plurimos &
vel sexcentos, quibus hoc nomine infeliciter cessit peregrinatio, reperiemus.
Ac ne alicui de assertionis meæ veritate sententia relinquatur dubia: pro-
deat in medium Anacharsis Scytharum Philosophus, qui instar omnium
esse debeat. Quid verò huic accidit? sanè à nullo negari potest: quòd cum
redux in patriam ex longinquâ peregrinatione Scythiis suis Græcorum mores
obtrudere vellet; ab illis interemptus, exemplum posteris reliquit: difficilem
esse juxtâ & periculosam, rituum patriæ & consuetudinis in veterata ma-
tationem. Peregrinationem ergo fugiendam esse satis ex his quæ modò dixi
de incommodis peregrinationis intelligere potestis. Verum tamen ut clarius
possitis perspicere id quod volo, paucissima adhuc seligam, in copiâ istâ argu-
mentorum; quæ tanta est: ut si omnia enumerare conarer, quæ animo atque
memoria obherent, verendum mihi esset, ne dies & vox me deficeret citius,
quàm oratio. Quantum enim illud detrimenti afferat, quàm pronam an-
sam variis vitiis, quando ad nos sumptuosa & lasciva vestes adferuntur;
neminem puto esse tam aut obtusi, aut aberrantis planè judicii hominem;
quæ non intelligat. Quid enim sibi volunt apparatus serici? quid acu pi-
ctæ, tantæque arte elaborata vestimenta, pilei acuminati, thoraces, quasi
evisceratæ hostiæ, caligæ pręgnantes, tibialia in rugas convoluta, collaria
pavonum caudas representantia, periscelides longè lateq; protensa aut incre-
spatæ, calcei fulcro ligneo sublevati & fenestrati? Quod si ab illis tempori-
bus, quibus mutatio rerum est exorta, memoriam repetamus; patebit sanè:
salutem publicam semper in deterius lapsam fuisse, quum habitus immutari
coepit. Et hic in mentem mihi venit Ulderici VVirtembergici Principis &
prudentiæ & belli laude florentissimi: qui non minùs sapienter quàm verè
dixit: NOVUS VESTITUS NOVOS INTRODUCIT MO-
RES: NOVI MORES INTRODUCUNT NOVOS HOMI-

D

NES:

NES: NOVI HOMINES EXPELLUNT VETERES. *Ac*
verè videor mihi hoc dicere: Si Princeps noster ad exterarum nationum in ex-
tera regna proficiat; nonne periculum est; ut idem olim pro subditis, pro
hominibus explorata fidei perfidos alienigenas rerum gubernaculis adhibe-
at? quorum magistratus quàm sit in visus bonis omnibus, quiq; florentissima
regna evertit; vel Sicula vespera docere possunt. Quid? nonne plurimis, s;
veteres annales consulimus, etiam praclarissimis viris, summisq; Imperato-
ribus exitio magno fuisse videmus, quando, contempto habitu patrio, exoticis
vestibus fuerunt delectati. Ille ipse Alexander Magnus, qui tot bella
gessit, quot Imperatores, etiam celebratissimi reliqui, vix viderunt; qui tan-
tas res gessit quales ne ille ipse Romani fori antistes Cicero omnium eloquen-
tissimus, non dicam laudando celebrare, sed vix numerando percensere possit:
ipse, inquam, Alexander testatur. Hic enim post maximas victorias;
cùm Persarum barbaro habitu cultuq; delectari cepisset: summam invidi-
am hoc ipso sibi peperit: civium animos à se reddidit alienissimos. Nihil
dico amplius collega: causa dicta est. Etenim nullus erit, ut ego arbitror,
vel tam perfricta fontis, vel tam nullius rationis, qui negare ausit: exotica
vitia, mores, ritusq; exteros in patriam afferri ab omnibus, qui in regnis ex-
teris divagantur: quiq; peregrinatione plurimum delectantur, in patriam
corruptelas non minus inferre, quàm eos, qui fontibus publicis, ex quo plu-
rimum hauriunt, veneno insicere. Infelices ergo Principes qui ratione hac
ducuntur, nihil suavius, nihil dulcius, nihil deniq; utilius esse, quàm pere-
grinari. Felix autem domi residens & sapere discens in propriâ domo: si-
cut Romani Senatores sedendo superare hostes suos dicebantur

Felix
 Et quisquis patriis ævum transegit in agris:
 Ipsa domus puerum quem videt, atq; senem;
 Qui baculo nitens in qua reptavit arena,
 Unius numerat sæcula longa calæ.

PRAE

PRÆSIDIS INTERPELLATIO.

Suum cuiq; pulchrum: quod & Symma-
 cho ultrò concedimus: Et jam tuum
 suffragium depono, Lysimache.

LYSIMACHI ORATIO IV.



Leganter sanè, nec minus verè comicorum
 coryphaeus Terentius mihi dixisse videtur: ita compara-
 tam esse multorum hominum naturam; aliena ut melius
 videant & iudicent, quàm sua. Quod etsi nescire se fa-
 teatur Lullius, quo pacto fiat: nos tamen aliorum, itemq;
 sapientum virorum iudiciis instructos minimè latere, cer-
 tè accuratè indagare per vestigare deceat. Si enim mentis oculos convertimus
 in eorum hominum mores, reperimus: idè eos magis in alienis cernere, si quid
 delinquatur, quàm in semetipsis: quòd nimium amoris sui blanditiis capti
 tenentur, qui excacat ac perstringit mentis oculos; ne se ipsos rectè explorare
 queant. Ad hos, parum aberat, quin is qui ante me suffragium tulit, ac-
 cessisset. Dum enim Gallos levitatis, imprudentia, temeritatis, ferocia con-
 demnat: dum Hispanos versutia, arrogantia, malignitatis, fastus, pertina-
 cia arguit: dum Italos inconstantia, libidinum, acerbis, insidiarum ad-
 ficit ignominia: dum Britannis mollietati, prodigalitati, immanitatis, licetia
 notas inurit: dum Belgarum dicacitatem, temulentiam, contentiones accu-
 sat: nos Germanos, nullius gentilitii navi mentionem faciens, divinos esse
 putat. Quam ob causam eum paulò inclementiorem rerum aestimatorem,
 censeo: haud reformidans immissa rationum tela; quibus ad hanc defensio-
 nem instructus videtur accessisse. Non modò enim Italiam, Galliam,
 Belgium, aliasq; regiones: sed nostram etiam provinciam ac patriam variis,
 èisq; horrendis vitis atq; flagitiis inquinatam esse, tam clarum est, & per-
 spicuum: ut negare qui ausit, lucere solem videatur negare. Nam si aulam
 perscrutemur, & illius instituta, mores, solemnia: deprehendemus; eam suos
 alere Gnathones, suscipere Phormiones, fovere Thaides, tueri Lenones, deli-
 ciari cum Glyceris; Si ingrediamur civium domos, hic levis; illic impudens:

D ij hic

hic temerarius, illic ferox: hic versutus, arrogans, malignus: illic fastuosus, pertinax: hic libidinosus, mollis: illic inconstans, immanis occurret. Et quid verbis opus? res ipsa testatur: omnes corruptelis esse obnoxios: iisq; tamdiu infames esse homines, quamdiu homines in hac mortalitate fuerint. Iam verò non rarò usu venire solet: ut Princeps, adolescens maxime, facilius corrumpatur à suis, quam ab alienis. Sape enim domi pro abstinentiâ, ignaviâ imbibit; pro verecundiâ, impudentiam haurit; pro liberis consiliis, nugamenta audit. Quod certè, quia aut nequit semper eiusmodi corruptores secum ducere, aut non semper præstò sunt: facile apud exteros vivens evitabit. Absit præterea; ut ideò Principis nostri filius vereatur excurrere ad Gallos, proficisci ad Italos, aliasq; nationes: quòd existimet, eas ab omnium virtutum genere alienas esse. Perinde apud illarum singulas, atq; apud nos, honestum aliquod dominatur, & res præclara habentur in delitiis. Vivat cum Italis, quibus hac laus à cordatis tribuitur viris: quòd sint providi, strenui, civiles, ingeniosi, officiosi: agat cum Hispanis; qui magnanimi, sobrii, vigilantes, patientes: Gallorum consuetudine delectetur; qui faciles, prompti, solertes, generosi, alacres, humani: commoretur apud Anglos; qui elegantes, hospitaes, facundi, solertes, amantes Germanorum: expetat Belgarum consuetudinem; qui dociles, fideles, industrii, grati. Cum his omnibus, inquam, conversetur Princeps noster; ut adsuescat ad singulas earum virtutes; moresq; sibi reddat familiares, quos cum honestate conjunctos esse didicit. Cogitate verò, quàm laudabile, quamq; præstans sit animum imbueret tam variis virtutibus, moribusq; ornare tam laudabilibus. Hoc sine peregrinetur Princeps; non ut cum Apitio gaudeat lautitiis; aut cum Archestrato exterorum illecebras palati literarum monumentis consignet: non Spartam cum Paride adeat pro Helena; aut cum Demosthene Corinthum, aut Phrynem naviget. Verùm, ne nimis latè vagemur; ad illud veniamus, in quo adversaria sententiæ author morum levitatem statuit à peregrinantibus attrahi: quòd, ut opinor, pari facilitate dilui potest, atq; ab eo objectum fuit. Verè enim leve est, quòd de hac levitate objecit. Satius esse, ait, observasse mores priscos, & vivendi genus agreste; quàm mores ritusq; aliarum gentium introducere. Ego verò dixerim: non omnes illos exterarum gentium mores, quos reprehendit, rejiciendos esse: qui, ut nummi, usu valent. Neg, omnes veteres Germanorum ritus probandos esse existimo. Quòd si tu secus censes, & omnia prisca putas elegantia: cur non vultum ad terrorem componis; sermonem in ferinum boatum mutas? cur non notis corpus compungis,

gis, variisq; animalium formis pingis? cur non crines rutilas, cirroq; torques in cornua; in prælia cornutus prodis? Cur, inquam, mores hos, Germanis olim usitados, non imitaris? Ideò fortassis, quia leves, pleniq; vanitatis ac feritatis, addo etiam, quia nunc non usitati. Non minùs verò in tertiâ ratione exultat, qui aliam à nobis opinionem tuetur. Sumtuosa, inquit, & lasciva vestes ad nos adferuntur. Mutato autem vestitu, semper in deterius sequi solet mutatio. Sed quid quaeso, impedit vestitus varietas? quid ejusdem apta concinnitas moratur? An virtutes? Non opinor. Nam circa animum hæ sunt occupatæ: vestitus verò corpus tantum spectat. An subditorum invidiam principi conciliat? Nunquam certè id evenisse autumo; nisi ad mutationem habitus alia civibus minimè ferenda accesserint. An principem autoritate spoliât, gravitateq; exuit? Minimè. Non enim vestes propterea, quòd novæ, leves sunt. Nam multa nova levia videntur, quæ revera non sunt: perinde atq; ex adverso, multa vetera gravia videntur, quæ si penitus in ea introspiciamus, verè indecora apparent. Testantur historiarum monumenta, majores nostros incesisse nudos: accepimus, eos pudenda libris arborum texisse: nudum corpus ferarum pellibus muniuisse, novimus: ferro ventrem ac cervicem legimus cinxisse. Quæ omnia, etsi iis sua tempestate fuerunt usitata: nos tamen, quia levia, quia omnis humanitatis expertia, ea ad imitationem trahere horremus. Sed age, concedamus: cognitionem rituum exterorum, novasq; vestes, ad quas invehendas peregrinatio portas quasi aperit, Principi esse detrimento. An verò hanc ob causam prohibebimus eum pedem ex limine adium paternarum efferre? Absit. Facile enim istis omnibus, quæ noxia esse videbuntur, remedium invenietur. Aderit Principi subinde vel Nestor aliquis, vel fidus Achates; qui & obscantatem vestitus, & alias locorum corruptelas, salubribus monitis emendabit atq; avertet prius, quàm corrumpere animum queant. Sapienter à Pœtis memoria proditum est, Iasonem olim, caterosq; Argonautas; cum eam insulam quæ ab amœnitate florumq; copia nomen invenerat, præternavigarent: periculumq; esset, ne molli illic ac delicato Sirenum cantu ad exitium perducerentur; unum in ductore Orpheo perfugium habuisse; qui eorum aures cerâ obduxit: ut Sirenum vocibus, nemo navigantium in fraudem atq; perniciem attraheretur. Hoc figmento, quid aliud sapientiæ magistri, nisi id quòd nos volumus, indicârunt? Præceptis videlicet insignium Ephorum præmuniri posse adolescentum animos; ne in voluptatum voragine immergantur. Et cur adolescentes dubitent? aut eorum parentes, parentumve loco constitu-

nos pudeat, admittere Iuventutis magistros? quum in virili aetatis vigore Alexander subinde Aristotelem, Dionysius Platonem monitorem ac Praeceptorem ferre in senectute, pulchrum aestimaverit. Vides igitur optime Collega; hastas tuas omnes in te ipsum esse coniectas: vides tela in ipsis tuis visceribus haerere: intelligis externa vitia, jam diu nobis facta esse vernacula: nosti externos virtutibus esse prae-ditos; quas etiam à bestiis discere hominem ne pudeat: non te latet, optimis eos moribus esse ornatos, quorum cognitio utilis valde & necessaria Principi: incommoda, quae vestitus mutatio foris aliquando afferat, magistri aula consilium praepedire posse, cognovisti. Quamobrem, quum nihil te moretur, Adolescens Princeps (te enim etsi absentem, honoris ergò, extrema mea compellat oratio) quum animum tuum mille utilitates ad peregrinandum impellant; ad Italiam, in Galliam ex-curre, in Angliam proficiscere, Belgium vise, in alias te confer regiones: ibi quae amicitias contrahas quibus ad augendam, & conservandam Rempubl. nihil est validius.



PRÆSIDIS INTERPELLATIO.

Non ineptè differuisti Lysimache.
Perge porrò in controversiis probè nodos
solvere. Incipe suffragari tu quoque
Philalethe.

PHILALETÆ ORATIO V.



Aligulam, monstrum illud hominis, optasse legimus: universo populo Romano esse unam cervicem, quam uno ictu abscinderet. Crudele quidem hoc votum: sed tamen non usque adeò mirandum: si paulò accuratius ad animum revocare ingenia hominum volumus. Magna est enim varietas, & incòstantia, & crebra, tanquàm tempestatum, sic sententiarum in hominum animis commutatio: ut quae admodum vix duo reperiuntur faciei lineamentis sibi planè similes: ita paucissimi numerentur; quorum de rebus iisdem eadem sit sententia: usque adeò

Velle suum cuique est: nec voto vivitur uno.

Minimè itaque miror, Collega; vos vestris sententiis in praesenti consultatione dissi-dere. Sed dabitur & mihi veniam liberè dicendi, quod sentio: statuo enim: nequaquam esse committendum, ut Princeps adolescens peregrinetur. Quis enim sanus negare vel velit, vel ausit: pericula cuique, quocumque modo honestè possit, esse fugienda? Neg, sapientis est & fortis, sed temerarii, non cogente necessitate, verum alicujus tantum lucelli spe stimulante, ingens aliquod periculum subire? Quod qui facit, aureo hamo piscatur: hoc est, rem ejusmodi adit, quae, minus commodi adfert; etiamsi cadat de-exterimè: quàm periculi extimescendum: si fortuna tantillum reslanti ven-to obluetetur: quod Augustum frequenti sermone usurpasse legimus. Tam verò quot & quantis sese offerunt periculis, qui peregrinationes suscipiunt? Si enim navi iter quis facit; naufragia timere necesse habet,

digitis à morte remotus

Quattuor, aut septem; si sit latissima tæda,

ut de suo mihi hoc Satyricus largiatur. Terram verò non tantum occurrunt bestia truculenta: sed & pradones; qui utinam in sylvis tantum latitent, in quibus majorem cautionem & circumspeditionem viatores adhibere solent: sed occurrunt in ipsis etiam urbibus: quae tamen munimenta esse debebant adversus fraudes & violentiam: & accurrunt sicis, quas in improvidos strin-gunt; sub togam sclopos tegunt; parant venena; medicatis potionibus insidiantur humanae salutis. Quid? quòd quòd quòd est major, eò gravioribus, cer-tioribusque periculis est obiectus: magnus praesertim princeps, qui quum semper in oculis omnium versetur, semper etiam pravorum technis ac molitionibus est expositus. Ac licet haud invitus concesserim; peregrinantibus, naturam exponere multa praecleara spectacula: illud tamen certum est, quod patet, quod tenetur: sapere eorum contemplationem spectatoribus praesentaneo fuisse periculo? quid dico, periculo? imò miserissimam necem intulisse. Quid mihi memorabis Islandia montem Heclam; scio longè lateque circa illum voragines esse, ita cineribus operas: ut qui propius accedere voluerint, exploraturi causam incendii ejus, vivi absorbeantur. Et quod Plinio accidit, qui experiri volens, unde conflagraret Chimera mons in Lycia; fumo illius suffocatus est: idem adolecenti principi contingere possit: quòd, ut, solent ingenia calida, nimis fervida est cupiditate res novas & admirabiles contu-endi. Tam salutare scilicet eorum est consilium, qui Principem nostrum ad externas nationes ablegandum esse, suadent. Quid verò dicam de Illustri-

simis

simis parentibus? qui filio, tot provinciarum & ditionum herede, apud exteros versante, ingentibus curis macerabuntur, & tristes de eo cogitationes concipient. Tobias, quàm curiosè articulos horarum computabat; quamdiu filius peregrè aberat? Quòd si quid Adolescenti nostro optimo humanitas contingeret: proh Deum immortalè! quanta rerum mutatio in principatu sequeretur? Cum Principib, enim non perinde comparatum est atq, cum privatis. Nam ex horum interitu aut nullum Respubl. detrimentum capit: aut certè ejusmodi, quod reparari non multà cum difficultate queat: Principib. verò sublati, Reipub. salus periclitatur: miseràq, est Respub. cui vel incertus est successor; vel quando imperium ad externum devolvitur: quòd plerumq, pristina Reipub. forma mutatur: mutatà formà, illa florere desinit. Quàm triste verò foret celsissimis parentibus nuntium: si exoptatus filius apud exteros diem miserè obiisset! Ego certò mihi persuasum habeo; eos tantùm inde dolorem percepturos esse; quantum nullus unquam dies, non dicam tollere, sed minuere aut mollire posset. Timanthen pictorem, quam representare deberet vultum Agamemnonis, filia Iphigenias obitum lugentis, vultum eum obduxisse, causamq, facti hujus percontantibus, parentum mastritiam in liberorum morte exprimi non posse, respondi acceperimus. Tam verum est, quod Latinus Tragedus ait:

Parvæ curæ loqvuntur, ingentes stupent.

Quorsum itaq, principem nostrum periculis: illustrissimos parentes perpetua agrimonia exponamus? simus in eo potiùs, ut Princeps domi sit nobis omnibus solatium, parentibus baculus senectutis, uni verso populo sacrum asyllum: ne fiat id, quod divinitus sancitum, quod Iehovah minatur: Qui amat periculum, in eo peribit.

PRÆSIDIS INTERPELLATIO.

Et nomen placet Philalethæ, & sententia in hac causâ. Utinam te semper veritas comitetur!

Tem.

Tempus est ut Eunomius dicat.

EUNOMI ORATIO VI.

Posteaquam dignus fui habitus: qui in vestrum Collegium à Serenissimo Principe adscriberer: nihil mihi dulcius visum fuit, neq, utilius Reipub. neq, dignius ordine senatorio: quàm audisse orationes vestras, doctas, nervosas, melleq, suaviores: quas ita conformastis; ut quid in omnem partem dici potuerit à prudentissimis hominibus, scitè atq, rotundè à vobis expressum fuerit. Ac videtur mihi res universa, qua disquisitione eget, comparari posse cum chalybe: qui si cum silice conflètur: certum est, ex attritu illo flammam elicere; unde ignis accendi ad mortali-um usum commodissimè queat: Eodem planè modo comparatum est cum prudentum sententiis: qua inter se commutata, utroq, citroq, considerata, efficiunt: ut tenebræ mentis discutiantur; una autem veritas exsplendescat, & triumphum obtineat. Rectè igitur fit, ut quicq, consultantium, quamvis cum aliorum animis minimè congruentes, quàm potest optimè exponat sententias. Quòd si verò meam, collega optimi, viri præter summam eruditionem etiam usu exercitatisimi, requiritis sententiam: sanè auctoritatem vestram non aspernaturus, ut potero exponam brevissimè. Ac illius argumenta, qui ante me dixit, tanti non esse judico, ut dissuadere queant; non suscipiendam esse peregrinationem: quàm nullam aliam viam ad veram prudentiam, & ad omnem civilis vitæ experientiam acquirendam compendiosorem esse, nullam ad Reipub. moderandam rationem assequendam, expeditiorem; nullam ad laudis, ad dignitatis, ad honoris, ad gloriæ immortalitatem adipiscendam, planiorem judicatum fuit. Atqui objecit nobis: ideò non esse peregrinandum; quòd in itinere plerumq, naufragia, insidia sint timenda, sæpè occurrant pradones, sicarij, loca periculosa. Imò his omnibus vitæ humana aquè domi ac foris est obnoxia: subiecta ubiq, multis arumnis, variis casibus: princepsq, adolescens non minùs in Germania est mortalis, quàm apud Garamantas & Indos. Audi vestis Fabium, senatorem Pratorium hausto in lacte pilo, domi sedentem, incluso spiritu, animam egisse: adeò parvè hominis mors ubiq, locorum sæpè constat: vixq, punctissimum est inter majestatem principis atq, exitium; inter soliam regale, ac solum sepulchrale.

E

Porro

Porro domi sunt *saga*, *incantatrices*, *venefica*, *percussores*, & id genus alii longè post natos homines improbiſſimi: malitia omnibus locis, ſui *fœcunda* & *fertilis eſt*: domi ſunt *fraudis doliq;*, *hami*; *artifices venenorum*; *odia ſeminantes*; *inimicitia ſapè graviores quàm apud externos*. Nonne *Iacobus Patriarcha*, ut evitaret *domesticas inſidias*, quas ipſi *frater moliebatur*, *peregrinationi ſe committebat*: ut ducere *Spiritum liberiore* poſſet. Ac ſi omnino *adolescens princeps non peregrinetur*: tamen *haud ipſum exiſtimo talem fore*, quin interdum aut *equum conſcendat*, eum in *gyrum agat*; *hastili decurſione certet*: aut *patenti campo leporem ſectetur*, *aprum*, *cervum*: aut *navi ſe committat*, *flumen trajecturus*; aut *amicos*, *vicinos* *ve curru equè* *ve viſitet*. Neq; enim domi ſemper ſua tanquam in *ergaſtulo* & *carcere manere*, aut *ſella inharens tanquam claudus ſutor*, inq; *conclavi affixus ſedere poterit*; velut *apum rex*, *avulſis aliis*, *extra alveum ſuum publico ſe non committens*. Deditus ergo huic aut alii *adolescens princeps exercitio an non aq; periculis objicietur*: ac ſi *virtutis prudentiaq;* *cauſa*, *unum alterumve annum ſe credat externo cœlo*? Sed dicit porro *adverſum ſentiens*: *parentes interim ſe variis affligent ſollicitudinibus*, *macerabuntur ingentibus*, *abſente filio*, *curis*. Imò illi *quum ſint Chriſtianiſmi ſui planè certi*; *mitigabunt triſtitiã divinã providentiã*, *ſuumq;* *temperabunt dolorem ſpe alterius vita*. Ceterum, *ex ſacro ſacrarum literarum codice didicerunt*; *ſilium ſuum*, *ambulatorum in viis ſua vocationis*; & *ſemper habiturum ducem Deum*, qui *Iſraëlitæ ſub nube ſecuros duxit*, & *columnã igneã*: *dein ſacros angelos comites*, qui *circa timentes Deum caſtra metantur*. Si *quid humanitus accidat adoleſcenti*; *quod Deus avertat*: *illud idem Deus ſolatio atq; bono tam parentibus*, *quàm toti regioni convertet*. *Peregrinetur ergo adoleſcens princeps*, *viſitetq;* *populoſiſſimas urbes*; *tot magnifica palatia*, *admirandaq;* *opera & artificia*: *quo modo exoticas linguas*, *ſine quarum cognitione ne vitam quidem ipſam jucundam putet*, *addiſcere poterit*. *Exterarum enim gentium libri exſtant multi elegantiffimi*, *literarum monumentis conſignati*: *inprimis qui de republ. bene gerendã copioſiſſimè agunt*. *Quamvis enim auctores veteres præferendi ſunt recentioribus*: ut *vinũ vetus defacatur*; *q;* *muſto bullienti*: tamen illi *ex recentioribus minimè inſuper habeantur*; qui *præcepta veterum ad noſtrum ſeculum*, *cujus quodammodo alius videtur eſſe genius*, *rectius accommodant*. Deinde *principi colloquendum eſt*, *cum variis legatis & gentibus*: *cui certè turpe foret*, *alieno ore per interpretẽ loqui*, *animiq;* *ſenſa nutu & ſignis indicari*. *Memoria proditum eſt*, *noſtrã* *tempe.*

tempeſtate; optaſſe quosdam *Magnates*, & *ſingulis talentis cupiſſe ſingula verba redimere*: ſi *absq;* *interprete cum Monarchis exteris colloqui*, aut *eorum legatis reſpondere poſuiſſent*. *Glorioſiſſimum fuit Xerxi Regi Ponti*, qui *varias*; *Mithridati Regi Perſarum*, qui *viginti duas linguas tenuit*; *Carolo Magno*, qui *legatis Græcis non per interpretes*, *ſed ipſe reſpondit*; *Friderico Secundo*, qui *Græcè & ſcribere & loqui poſuit*, *quiq;* *ex Saraceno ſermone in latinã elegantiam aliquot libellos tranſtulit*; *Maximiliano I.* qui *Latinè*, *Italicè*, *Hiſpanicè*, *Gallicè*, *Germanicè locutus eſt*. Poſteaquam ergo *demonſtravi Collegæ*: *domi aq; eſſe pericula metuenda*, *qua foris extimeſcimus*: *Exoticarum verò linguarum cognitionem peregre eſſe diſcendam*: *quid reſtat aliud*; niſi ut *veritas*, *qua patet atq;* *in promptu eſt*, *palam à nobis obtineat*, *meritiſſimòq;* *jure triumphet*. *Peregrinetur ergo adoleſcens princeps*: & *imitetur corpora cœleſtia*; *qua*, *quo ſunt nobiliora*, *eò mobiliora exiſtunt*.



PRÆSIDIS INTERPELLATIO.
Eunomius hoc conſilio fuit Eunomius;
hoc eſt, rectè & ad leges accommodatè
dixit. Audiatur & Dicæſtes.

DICÆSTÆ ORATIO VII.

Sid, quod res eſt, ingenuè fateamur: fatendum profectò eſt, & fatendum intrepide, clariffimã voce: nihil in hac rerum naturã, tam intricatum, tam ſpinofum, tam obſcurum abſurdumq; eſſe: quod non ope *Divæ illius quæ pacis belliq;* *ſocia à Romani fori Antiffite perhibetur*, *eloquentiam dico*, *ſieri poſſit ita explicatum*, *ita facile*, *ita clarum ac probabile*: ut *cuiq;* *imperitiſſimo etiam*, *modò aliqua in illorationis rectæ ſcintilla vigeat*, *intelligere in proclivi ſit*. *Quid enim non efficit affectuum illa regina*: *ubi generoſa pectora occupavit*? *ſiquidem tanta ejus vis eſt*; ut *quodcunq;* *aggreditur*; *illud clarum certumq;* *reddat*. *Magna itaq;* *Collegæ*

Contra praesentem praevalentiam vestra, quae radios spargit, oculos undequaque perstringentes, in clara hac luce admiratio animum meum subit. Quamvis verò causa hac satis ponderata, & ad recti iudicii normam examinata sit: tamen quum & conditionis meae ratio ita requirat; vestra oratio ita suadeat. statuo illi, cui aliquando in Repub. fasces gerendi non esse peregrinandum. Et statuo non immeritò. Quis enim est adeò rudis, rerumque ignarus, qui nesciat peregrinationes exhaurire araria principum brevi temporis spatio; quae magno vix sunt collecta? Apud exteros enim cibi, potus, aliarumque rerum omnium maxima est caritas; quòd existiment; advenas, ut ignaros quantocumque res pretio ematur, oportere plus numerare aliis. Oportet insuper coemi equos: ornamenta, currus & rheda adornantur: comites conducuntur; magnis sumtibus aluntur. Ad diversoria si ventum est: sodalitates & illecebra ad heluandum, ad scortandum, ad ludendum quam plurima se effundunt. Hic loculi emunguntur; contrahitur as alienum; ad parentes, ad tutores, ad agnatos, ad amicos, ut mala nomina solvantur, litera mittuntur: pradia urgente casu, quae alias maximo pretio venderentur, minimo tunc venduntur; bona fortuna distrahuntur; iura in dies crescant; caupona instant; nomina duplicant; quae omnia tandem peregrinationis vorago consumit. Quid inde, nisi paupertas sequitur? sequitur omnino noxiosissima nostro seculo: quo non modò ingravescit annonae, sed tota Germania videtur implicanda difficilibus bellis & periculis, quibus jaectetur ceu pelago turbulento navis: & ni tandem Deus ter opt. & max. avertat concussa diu multumque ruinam minari videtur. Itaque sapientissimos viros, posteaquam perspexerunt; quanta detrimenta Reipubl. ferret peregrinatio; eam prohibuisse legimus: cuius rei exempla vel sexcenta in medium proferre possim. Verum, quum odiosa prolixitas non sit pro instituti nostri ratione, unum atque alterum tantum producam, quae erunt instar omnium: ne alicui de assertionis meae veritate dubitandi locus relinquatur. Ac in hunc campum prodeat sapientissimus ille Laconum legislator Lycurgus: qui civibus suis non tantum omni peregrinatione interdixit; verum etiam omnes merces à littore removit peregrinas. Quocirca Padonomus apud ipsos adolescentem ex eorum numero, qui exercebantur, gravi reprehensione castigavit: quòd viam nosset, quae Sparta à Pileam duceret. Pileam verò quantillo spacio distabat Lacedaemone? vicus erat in eodem Peloponneso in Arcadia finibus. An ulla atas de Socrate conticescet? cuius certè authoritas tantò major videatur, & ad persuadendum id quod agimus, gravior: quanto est certius: mortalium

eum fuisse habitum sapientissimum, non vano Graculi cuiusdam arbitratu: sed Apollinis Delphici, ut tum habebatur, oraculo veracissimo. Atqui ille Athenis philosophari maluit: maluit viva suorum & spirantia intueri exempla: quam ad exterorum se conformare mores: pedem certè terram Atticam non extulit. Quid verò de Chinesibus dicam? quibus multos Europaeos ingenio cedere ferunt. Illi eodem animo, sapienterque instituere: ut qui ex civibus suis imperii sui limites excederet, poenam gravissimam afficeretur: tantum est illis, servare cives alienos à rerum exoticarum cognitione: ne ab institutis patriis abducantur. Ac sanitatem imprimis optandam esse, eò quòd sine ea vita non sit vita; nec vivere; sed bene valere sit vivere; omnes scimus & fatemur. At peregrinatio eam corrumpit. Frequens enim mutatio cibi, aeris, potus, intempestiva caena, discubitus impurus, producit cruditates: cruditates, varios morbos. Etenim Gallica labes unde? Ungarica unde? unde sudor Anglicus? lepra Africana unde? nonne ex peregrinatione? Peregrinatio omnino est Pandora illa; ex qua plurima labes & contagio exhalare solet? Ac magnus ille Imperator qui mundum hunc regit, regit clementi sua ac potenti dextra, ipse prohibere peregrinationes & divagationes voluisse videtur dū fluvius regiones discriminavit à se invicem, dum montes, sylvas, saxa, quas terminos & repagula objecit: ut mortales discerent gaudere bono suo patrio; aliena non appetere. Sed quid plura colligo? peregrinatio affert rerum omnium inopiam: peregrinatio perdit valetudinem, quae sublatam, haud scio, quid homini in hoc orbe terrarum sit expetendum: peregrinatio denique à natura ipsa improbat. Ac ut clarius, quod volo dicam, brevibusque omnia complectar: sicut Eudoxius supplicavit Diis Deabusque, ut sibi clarissimum caeli sydus, solem loco proximo contuendi gratiam facerent: isto voto spectaculi, pretio, ut mox conflagraret: ita peregrinantes aucupantur cassam scientiam; cuius possessio sit momentanea; jaectura incomparabilis.

PRÆSIDIS INTERPELLATIO.

Dicaſtes ut ſentit loquitur: Tu colophonem impone Thraſybule.

THRASYBULI ORATIO VIII.

Multos præſtantiffimos fuiſſe apud antiquos Philoſophos, qui de rebus ut variè ſenſerunt, ita diverſimode ſtatuerunt; literis memoriæq; proditum fuit. E quorum numero prodeant mihi Academici, qui hanc ſententiam mordicus tenebant: ab eâ nullis rationum machinis, quamvis firmis dimoveri potuerunt: In omni genere ſcientiarum nihil eſſe tam firmum, quod non infringi labefactariq; nihil tam ſolidum, quod non in dubium vocari queat. Sed hac illorum opinio non mihi tantum qui neq; ingenio neq; doctrinâ valeo, ſed aliis etiam doctis, qui de rebus rectum facere norunt iudicium, minimè admittenda videtur. Quid enim? An animus tanquam navicula procellis agitata fluctuct ſemper? An nihil certi ſtatueri debemus? Minimè. Animus noſter potiùs cernat, quod optimum fuerit: & ab illo nuſſiam dimoveatur? Nos verò in iudicando eorum ſententias amplectamur: eorum ductum ſequamur pari modèſtiâ, pari facilitate; qui ſecundum rectam rationem in rerum perplexitate, probè iudicare conſueverunt. Equidem, ut ad rem veniam; video, mi Collega, tuam orationem jam recitatam quorundam calculo ita eſſe comprobata: ut in illâ acquieſcere velle videantur. At mihi alia mens eſt; aliam mihi ſententiam ſequendam duxi; quam vos benignè accepturos, eſt ut in ſpem adducar planèq; confidam. Sic enim ſtatuo: Nihil in vita iucundius, nihil ſuavius, nihil ad rempub. accommodatius peregrinatione; qua ad veram prudentiam acquirendam, & civilis vita experientiam ſummè utilis ac neceſſaria eſt. Sed quid tibi reſpondebimus, qui peregrinatione pecunias exhauriri dicitis; qui nihil beatum, nihil glorioſum, nihil fortunatū, nihil expetendum præter divitias, arbitraris. Nonne verò per Deum immortalẽ! meliùs eſt impendere pecuniam, ut virtutem conſequaris: quàm illâ

illâ carere, & diffluere opibus? An neſcis quòd omnia ei adſunt bona quem penes eſt virtus? An erit quiſquam aded Euclionea ſorditia; ut aulam ſuam refert am nummis, potiùs in delubro Sylvani ſepeliat; — metuatq; velut contingere ſacrum;

quàm aliquid viatici impendere; ut ad ſapientia, quaſi ad doctrina mercatum proficiſcaris. Equidem auri & argenti poſſeſſio nunquã pluris eſt imanda eſt virtute; quòd hac fortuna bonum ſit; illud animi. Hac facile amittitur: illa nos ſemper comitatur. Hac ego ſingula, dum in animo meo paulò penſculatiùs conſidero, venit in mentem ſapientis viri Socratis dictum. Is videns hominem omnibus fortuna bonis affluentem; cetera rudem, moroſum, incivilem, nullâ ſcientia excultum: Hic, ait, equus eſt argento ornatus. Et quid aliud hac ſententia ſignificare voluit; quàm ſapientiam talem eſſe, quàm nemo hominum carere poſſit; quàm qui deſtituitur, homo eſſe deſinit? Hanc in ſublimi loco poſitam eſſe nemo negabit; hanc magno ſudore, & labore, magnis ſumtibus acquirendam eſſe, nemo inficiabitur. O miſeros ergo illos & ipſâ miſeriâ miſeriores; qui vero illo delicio atq; theſauro permanente, quàm ſuis nummis carere malunt. Quaſi verò charta luſoria; fritillus, pila palmaria, otium domeſticum, domeſticus luxus, domeſtica belluationis gurgis, peregrinationis neceſſarios ſumtus longè non exſuperet. Eadem prodigalitate vorago domi eſt, qua foris; eadem dilapidandi fortunæ ac patrimonia, occaſio: eadem ſodalitates, eadem popina ac lautitiarum arbitri. At morbos formidant delicati? cur peregre magis? quaſi domi nulli pereant, domi nulla agritudo. Equidem nec volo, nec negare poſſum, (aliàs bellum veritati indicerem) in peregrinatione eſſe morbos: ſunt fateor, contagia, corruptela corporum, atq; animorum. An verò ob eam cauſam non eſt peregrinandum? Imò verò peregrinandum. Effugies iſta facile, omnes morbos repelles; ſi temperantia habebis rationem: nec vel quovis inexplorato cibo te infarcies; nec immoderatè vina generoſiſſima hauries. De cetero motus frequens & tempeſtivè inſtitutus, nativum excitat calorem; & excrementa diſſipat: tantum abeſt, ut morbos generare poſſit. Cur domo toties fugimus, & foris tanquam in aſylo vitam quarimus? quia exploratum habemus; ex ſola aëris mutatione nos ſapius, cum diuturno languore conſtictatos, ad priſtinum vita ſtatum rediſſe: Unde erat Perſis robuſtus ille vigor: ut vitio verteretur ſi quis in publico ſpueret? tempeſtivus motus hac præſtabat commoda. Quod verò meus collega jam retulit de montibus, non veriſimile mihi videtur, quaſi illi diſſuadeant peregrinationem. Si enim rem eſtimare ſuis

fac momentis vultis; sanè apparebit, sat scio, ultero citroq; commeantes societatem hanc colere rectius. Atqui nullus eorum foret usus; nec ista officia communicari cum humano genere possent: nisi natio nationi adjumento esset, advenaq; cum advenâ conversaretur. Quid? quòd Deus opt. max. peregrino auxilium opemq; petenti auxiliates manus porrigere jubet. Quem enim non percellit vox illa plena majestatis divina, qua per Moysen insonat insonatq; auribus populi Israelitici? Peregrinum ne opprimito: vos enim experti estis adfectum peregrini, quum peregrini fuissetis in terra Aegypti. Accedit huc & illud: quòd legem eandem rationemq; esse & Iudæo voluit, & peregrino: quâ certè sollicitudine Deus opt. max. non laborasset: si ad externos peregrinari aut turpe foret, aut cum nullo usu conjunctum. Illud verò quo loco habetis: quòd Abrahamum patrem credentium, ipse Deus voce suâ evocat: cum peregrinari jubet. Quid multis? Diffundamus cogitationes si lubet per omnes terrarum angulos: videbimus multos varia nationis homines peregrinantes. Aristoteles iùe Philosophorum princeps, multas & varias nationes vidit: inde sibi sapientiam & immortalitatis famam comparavit. Cicero, parens Romana ille Eloquentia, ut eam dicendi famam quam sperabat consequeretur, in Græciam peregrinatus, & alias nationes fuit. Sed quid profana profero? magis moveant, qua in sacris memorantur locis. Præter Abrahamum, Isaacum, Iacobum & ceteros infinitos, qui magnam suam atatis partem peregrinatione consumserunt: Moses, ille dux optimus, Iosue, David, vir secundum cor Domini, & alii plurimi peregrinati sunt. Quid dicam de Salvatore nostro? quid de Apostolis & doctõribus in Ecclesia? Taceo Imperatores, qui virtutis causâ peregrinatos magnis honoribus affecerunt, donârunt privilegiis atq; immunitatibus; ut propositâ spe præmii, liberalissima ingenia ad peregrinandi studium inflammarentur. Nonne enim Fredericus ex Cesaribus Germanis, Barbarossa cognominatus, hoc edicto nunquam satis laudato probat, quid boni omnes de peregrinantibus sentiant. Ipsa verba quæ cognoscite. Omnibus, qui causâ studiorum peregrinantur, scholaribus, & maximè divinarum atq; sacrarum legum professoribus, hoc nostræ pietatis beneficium indulgemus; ut ad loca, in quibus litterarum exercentur studia, tam ipsi, quàm eorum nuncii veniant, & in eis securè habitent. Dignum namq; existimamus; ut; quum omnes bona facientes, nostram laudem & protectionem omnimodò mereantur; quorum scientiâ totus illuminatur mundus, & ad obedi-

endum

endum Deo & nobis ejus ministris, vita subjectorum informatur: quadam speciali dilectione eos ab omni injuriâ defendamus. Quis enim eorum non misereatur, qui amore scientiæ exules, facti; de divitibus pauperes, semetipsos exinanunt, vitam suam multis periculis exponunt, & à vilissimis sæpè hominibus, (quod graviter ferendum est) corporales injurias sine causa perferunt? Hac igitur generali & in perpetuum valiturâ lege decernimus; ut nullus de cætero tam audax inveniatur, qui aliquam scholaribus injuriam inferre præsumat: nec ob alterius cujusq; provinciæ delictum sive debitum (quod aliquando ex perversâ consuetudine factum audivimus) aliquod damnum eis inferat: scituris hujusmodi sacræ cõstitutionis temeratoribus, & etiam ipsis locorum rectoribus, qui hoc vindicare neglexerint, restitutionem rerum ablatarum ab omnibus exigendam in quadruplum; notaq; infamiæ eis ipso jure irrogandâ, dignitate suâ se carituros in perpetuum. Vides, mi Collega, nunquam formidandos esse sumtus, qui virtutis causâ suscipiuntur: vides solâ aëris mutatione multos pristinam sanitatem consequi; vides jure divino & humano id esse licitum; ut quisq; qui vult peregrinationem suscipiat. Quid ergo? quid, inquam, perseverabis in instituto tuo? Cur non potius Principi adolescenti peregrinationem necessariam esse suades? Humiles enim & plebejæ animæ (ait ille) domi resident, & adfixæ sunt suæ terræ: illa diviniore est quæ cælum imitatur & gaudet motu. Sublata itaq; omnia impedimenta: repagula sunt de foribus amota; ad propositum iter expedita sunt omnia. Cur igitur non concedamus in sententiam oraculi Delphici sapientissimam: qua non aliter ingenuis adolescentibus peregrinationi immorandum esse censet; quàm si patriis finibus extorres essent. Apud externos doctrinam, & disciplinarum universarum exquisitam notitiam: apud externos rerum gerendarum dexteritatem; apud externos civilem honestamq; conversationem, ac diversi sermonis elegantiam: apud externos cautas deliberationes: deinde efficiendarum rerum omnium experientiam & usum apud externos comparemus. Inde parentibus nostris gaudium ac solatium, familia decus ac ornamentum, amicis & necessariis oblectamentum: inde, inquam, Reipublica commodum & emolumentum, nobis verò ipsis gloriam ac honorem immortalem afferemus.

F

PRAE-

PRÆSIDIS ORATIO IX.
Quæ & conclusio cum sententia
definitiva.

A quorundam, qui à consiliis sunt principibus, est pertinacia, ea morositas: ut religioni sibi ducant, vel latum unguem ab eâ, quam semel tulere, discedere sententiâ: imò, quod dolendum magis est, ut Sepia, siprehendas eam, omne illico, quod in se habet, atramentum effundit: sic illi, si reprehendantur, inflati indignantur; bilem & salsa quag, dieteria catervatim egerunt. Perversissimi illi sunt consiliarii: si tamen consiliarios eos appellare fas est. Verum, quantum magis accusanda illorum est pertinacia & perversitas; tantò vestra singulorum laude dignior est modestia, Collega: quòd posthabitis rixis, studiis atq; vincendi prurigine, summâ cum moderatione, ut par erat, sententias pronunciaſtis; & eo ipso mihi faciliorem veritatis indaganda viam aperuistis. Quâ sine facile animadverto, meum quoq; suffragium à vobis, tacitâ quâdam expectatione, fortè etiam singulari desiderio, non jam expecti amplius, sed expectari. Negem esse Adolescenti principi peregrinandum? affirmem nunquam eî ex parentum propinquorumq; complexu discedendum? evellâ ex animo ejus ardentem peregrinationis amorem penitus insitum & inveteratum? Non est hoc ejus, qui principis sui salutem, patriâq; felicitatem, quantum in se est, provehere atq; amplificare studet. In confesso namq; est; prudentiam tam utilem, tam necessariam esse principi; quàm vel currenti pedes, vel ala volanti. Hac enim virtus, si pietatem excipias, omnium firmissimâ reipub. est praesidium: hac Principi pretiosissima quag, κερήλια; auctoritatem, felicitatem, & nominis immortalitatem elargitur: hujus ille unius adminiculo res maximè perplexas, promptè enodabit: praterita feliciter recordabitur; praesentia ritè disponet: sapienter providebit futura; omnia deniq; ita suscipiet, ita perficiet negotia; ut minimè ad Anticyras navigare, aut helleboro, (quod ajunt) caput purgare necesse habeat. Hâc verò si fuerit destitutus; omnia aget praeposterè; plus oberit quàm proderit reipub. & talem ubiq; se geret,

se geret, ut statua vel colosso videatur simillimus: qui Roma in Agonis profesto die circumferri consuevit. Ut enim hic foris quidem magnificam pra se fert speciem; homini interdum similis; interdum generoso equo; intus verò plumbo, lapide, ac terrâ plenus est: ita ille primo quidem aspectu cordatus Princeps apparebit: at si dextro (quod dicitur) oculo, eum inspexeris; ex plumbo, lapidibus, scrutis, stupâ & laciniis turgescet: id est, ignorantia, stupiditate & aspritudine, totum eum compositum, animadvertes. Quo autem pacto hac tam necessaria virtus comparatur? qua vera ad eam perveniendi via? Alia profectò, qua quidem compendiosior sit, monstrari nulla potest, quàm Peregrinatio. Nonne enim quum longè disitas, easq; varias peragramus nationes, creberrima cum diversissimis hominibus instituerè possumus colloquia? Colloquia autem ista, quid sunt aliud, quàm breve & expeditum quoddam omnis doctrinae sapientiaq; compendium? Quos usus fuerit noster princeps, multò melius omnia, longèq; facilius cognoscet: quàm si vel sexcentos domi audierit Magistros: quorum qui rectè teneant instituendi Principis rationem,

— vix sunt numero totidem, quot

Thebarum portæ, vel divitis ostia Nili.

Peregrinaturus verò ab aliis liberale capiet ingenium varios ritus, jura, leges, consuetudines rerumpub. cognoscet; qui sint regnorum ortus, qui progressus, qua incrementa, qua decremента amplissimorum imperiorum: quid in quag, civitate laudabile, quid emendabile sit, discet: ab aliis accipiet, quo victu cives, quibusq; commercii gaudeant, ditescant: qua magistratuum ordinatio, qua Iudiciorum, qua consiliorum constitutio bona sit atq; laudabilis. Ab aliis resciscet varia rerumpub. secreta: percipiet modum construendi aedificia; profundandi fossas, educendi turres, propugnacula, castra; ordinandi aciem, stratagemata excogitandi; cum hoste confingendi; mœnia, urbesq; expugnandi, defendendi patriam, civium salutem vel amissam postliminio recuperandi, vel conservandi, confirmandiq; pristinam. Ab aliis peritiam hauriet gubernandi scholas & ecclesias, constituendiq; liberalium pariter & mechanicarum artium collegia. Alii suppeditabunt alia. Tantum istiusmodi colloquia ad solidam conferunt prudentiam: qua non modò rem familiarem augere domi olim possit: sed nimirum etiam Reipub. commodis serviat & ornamentis; quum non modò dies diem doceat; sed, meo iudicio, etiam regio regionem. Quod quum vidisset Lycurgus, Apollinem sapientia praesidem τερεάχηρα ηη τερεάωτον, quatuor manibus, totidemq; au-

vlbus pradisum, Spartanis suis proposuit, quò eos doceret; editam ac prael-
sam Prudentia arcem, non nisi eum conscendere posse, qui quatuor manibus,
totidemq; auribus rem gereret, seu (ut plenius & planius, quod volo eloquar)
qui & tractaret quotidie multa, & frequenter sapientum colloquia excipere
auribus posset. Atq; hac in re permoti praeantissimi quiq; ex omni memo-
ria viri, tanti fecere peregrinationes: ut nullas itinerum longinquitates, nul-
las navigationum difficultates, nullas tempestatum injurias, ab iis se deter-
rere fuerint passi. Nonne enim Pythagoras ad Persarum Magos? nonne
Plato Athenis in Italiam ad Pythagoras, & in Aegyptum ad Sacerdotes?
nonne Aristoteles ad celeberrimos Indorum Gymnosophistas? nonne Ana-
charsis Scythia in Graciam? nonne Cicero & infiniti Romani alii, ad Gracos
se se ex patria contulerunt? Quòd si Magnatum, & eorum qui leges pro-
mulgandi potestatem, aliisq; imperandi facultatem habuerunt, exempla de-
sideratis: prodeat Lycurgus, prodeat Solon; qui ad Aegyptios commearunt:
prodeat Cyrus, quem etiam-num puerum, ex Persia ad Medos, in Astyagis
aulam, missum fuisse accepimus; prodeat Theseus, qui mundum pedes pera-
gravit: prodeat Hercules, qui teterrima quaq; & portentosa monstra, (mon-
strosos putate hominum affectus) domandi, gubernandiq; peritiam non ali-
unde, quam ex peregrinatione hausit: prodeant deniq; pulcherrima illa Re-
gum lumina, Alexander, re nomineq; Magnus, & Mithridates, qui tanto in
precio peregrinationes habuerunt; ut maximam terrarum partem lustrare
non dubitaverint. Atq; hinc in tantum eorum excrevit, cum auctoritas,
tum potestas, ut quos iis compares, invenias paucissimos: quos anteponas,
propè nullos. Quum igitur lippis ipsis atq; tonsoribus (quod ajunt) notum
sit: veram reipub moderanda scientiam, omnium commodissimè peregrinan-
do addisci posse: non id agamus, ut commodis nostri Principis officere & ob-
stare videamur; sed potius calcavia eidem addamus & animum; ut stadium
illud honoris & gloria fortiter ingrediatur, decurrat feliciter. Desinienda
quidem mihi nunc est sententia: sed tu mihi prius, qui secundo à me dixisti
loco, es commonendus: ne, si nihil dicerem, Apollinis oraculum te protulisse
arbitreris. Excipiebas contra me, imò contra omnes, quorum auctoritate
meam corroboravi sententiam, viros longè prudentissimos; ex historiis ad-
disci posse prudentiam. Quod, etsi ego non insiteor: vicissim tamen ex te
quero, an eò tu procedes negligentia: ut, si dextrum crus tibi paulò sit firmi-
us, sinistrum idcirco nihili facias? aut si habeas oculum dextrum, eruas sini-
strum? Non facies, opinor: alioquin tibi ipsi damnum inferes, atq; idcirco
deriden-

deridendum te omnibus propinabis. Iam verò Peregrinationem aspernari
propter antiquitatis notitiam; quid est aliud, quam oculum vel crus sini-
strum, propter bonam dexeri constitutionem insuper habere? Qua enim obse-
cro, nisi res communes periclitando, casuum varietate, multiplici novitate,
deniq; ex eventu etiam discantur consilia: qua inquam, ejus, quam ex libris
hausimus, scientia erit applicatio? Planè nulla: aut, si erit aliqua, tam
exigui erit momenti: ut quidquid didiceris, imperfectum quid dixisse videar-
is. Et, ut charta geographica nautica prorsus est inutilis: nisi ille remo etiam
manum adhibeat: ita parum commodabunt libri prudentia candidato; nisi
qua in eis precipiuntur, ad usum transferre, quod sit peregrinando, didicerit.
Quare illi demum mihi sapere, & quidè re sua sit, probè intelligere viden-
tur, qui non alienam tantum experientiam, qua legendo: sed & propriam, qua
peregrinando acquiritur, inclarescere sat agunt. Duabus namq; anchoris
niti, tutissimum est. Nec ullam aliam ab causam Veteres, Sapiaentia pa-
trem usum, matrem autem memoriam esse sinxerunt; quam quòd viderunt:
non posse quenquam in verè sapientem evadere virum: nisi cum lectione
assidua jungat usum atq; exercitationem. Quod vel solum argumento
esse potest: non satis esse, Principem domi etiam optimos historicos nocturna
diurnaq; versare manu: sed etiam, ut ad externos populos suscipiat peregrina-
tiones, necessum esse; idq; tanto magis; quanto melius omnia accuratiusq; so-
ris cognoscuntur, quam domi. Si enim in paterno lare delituerit is, quo de
loquimur, tantum sciet quantum ex relatu aliorum fabulisq; cognoscet: ubi
nihil penè rarius, quam verum audire inter assentatorum blanditias, qui
plerumq; fingunt

Candida de nigris, & de candentibus atra.

Si verò in peregrino vixerit solo; ipse rebus intererit; ipse videbit; ipse audi-
et earum exitus. At enim, inquis, pleriq; ex eruditus & heroibus histo-
rias maximè adamarunt, adamas sedulo lectitarunt; lectas studiosè com-
mendarunt. Verum dicis, assentior, An verò ideò peregrinationes eos
improbasse opinaris? Erras, & toto (quod dicitur) caelo erras: si opinaris.
Tantum enim abest, ut illi, quos mihi nominas, viri, peregrinationes im-
probarent, aut contemserint, ut potius plurimum semper iis fuerint delectati.
De moribus exterorum quod asseris, in patria eos cognosci posse: difficile.
Quotusquisq; enim est, qui dum se id praestitisse possit gloriari? Iure cum
Poeta exclamare possum;

Rara avis in terris, nigroq; simillima cygno.

F ij

Nes

Nec mirum. Nimis magno enim labore, nimis multis opus est vigiliis: temporis verò impendio tanto, quantum vix humana vita sufficiat. At si extra solum natale vivas, converserisq; cum iis, quorum mores cognoscere volupe sit, opinione celerius animo insidebunt tuo, & insidebunt firmissimè. Ut enim nihil dicam: ea, quæ à nobis sunt disita longius, vel minui ingenio nostro, vel augeri: certè etiam altiùs animis insiguntur, longè tenaciùs hærent, promptiusq; occurrunt, coràm quæ cernuntur: quàm quæ audiendo, vel legendò domi percipiuntur: adeò ut ipso Apollinis oraculo verius sit, quod Poëta canit:

Segniùs irritant animos demissa per aurem;

Quàm quæ sunt oculis commissa fidelibus.

Postrema illa, quæ comprobare tuam studes sententiam, ratio, etsi alicujus sit momenti, non tamen tanta est, ut propter eam rejicienda videatur esse peregrinatio. Nam non dissiteor quidem, nec dissiteori possum; a quæ benè in patriâ, quàm extra eam cognosci Deum posse: addo etiam hoc, librum naturæ tam obscurè nos, quæ & qualis Deus sit, edocere: ut, si Scriptura destitueretur luce, divina nobis essentia atq; voluntas, maximâ ex parte, foret incognita. Sed tamen & illud tu volens nolens fateri cogeris, varia natura miracula, quæ apud exteros occurrunt, longè magis generosissimum quemq; afficere, quàm quæ ante pedes semper jacent: acriusq; permovere, quæ rario-re, quàm spectaculo occurrunt quotidiano. Neg, te fugit; ita comparata esse hominum ingenia: ut, quò quod est excellentius, quò diviniùs, eò ardentiori sciendi plurima teneatur cupiditate. Intuere mihi Origenem: quàm ardens (proh Deum immortalè!) eo in homine fuit, studium; quantus, quàmq; vehemens ingenii astus, quàm inexplebile discendi desiderium! Nam puerulus adhuc, de gravissimis maximeq; arduis rebus, tam anxie, tam sollicitè quærebat; ut Pater, qui summo sæpè conatu id ipsum ei dissuadebat, vix ac ne vix quidem, à nimio investigandi studio eum posset retrahere. Tantam tam præcellentis ingenii aciem, non alii modò, sed ipse etiam Pater, adeò fuit admiratus: ut noctu sapius ad lectum filii accederet, pectusq; ejus, tanquam singulare Spiritus Sancti domicilium oscularetur. Tantus est in heroicis quibusq; ingenijs sciendi ardor, tanta cupiditas: tanto impetu ad variarum atq; abstrusissimarum rerum cognitionem feruntur. Ardentissimam autem sit illam, nulla res, præter peregrinationem, restinguere potest. Nullibi enim plura, nullibi admirabilia, nullibi utiliora, nullibi jucundiora; quàm in exteris nationibus, cernuntur, audiunturq;. Quibus omnibus probè perspectis; facile, quid ex controversia hac concludendum

dum mihi sit, intelligere possum. Quamvis enim vos paribus votis dissentiat: ego tamen eorum, qui peregrinationem exquisitissimis verbis, rationibusq; firmissimis commendârunt, jure comprobare possum sententiam: comprobo etiam; & sic statuo: Adolescentem principem non modò sine suo, suarumq; rerum discrimine posse; sed & propter salutem, cum publicam, tum privatam, peregrinari oportere. Atq; hoc ego Senatus-consultum ad serenissimum principem, patrem deferam: ut posthac quibus modis peregrinatio institui rectissimè queat, deliberet: matureq;, quæ ad filii profectiorem necessaria videbuntur, pareat. Deus ter opt. max. ipsum Adolescentem alarum suarum remigio protegat, custodiat, defendat: faxitq;, ut a vibus bonis abeat; melioribus cum exteris populis conversetur; optimis domum revertatur.

PRÆSIDIS EJUSDEM GRATIARUM ACTIO ad Auditores.

Quod superest, generosa cohors, flos ipse virorum,
O prælustre decus Divorum, heroica proles;
Magnifici proceres, nostri bona fulcra Lycæi:
Solvimus ingentes submisso poplite grates,
Quod faciles estis dignati advertere mentes.
Si minùs à nobis sunt singula ritè peracta;
Ætati veniam detis: Juvenilibus annis
Proclive errare est: quemvis facile implicat error.
Proposita est nobis certissima meta laboris;
Judicium ut posthac, solersq; industria crescat:
Spondemus rursus, fideiq; prebendimus aram:
Vester honos semper, nomenq; illustre, decusq;
Et merita æternùm nostro dicentur ab ore.
Vivite & Euboici transcendite pulveris annos,

Et no-

*Et nostri porrò memores estote; favete.
Opater, ò hominum, divùmq; aterna potestas,
O qui perpetuâ mundum ratione gubernas;
Da vigeat, crescat, seseq; attollat in auras,
Gymnasium hocce novum: clementi id protege dextrâ:
Serva Doctores fidos; fidosq; Magistros:
Unde propagentur Musarum & Apollinis artes,
Salvificiq; sonent divina oracula Verbi.
Fac immota suis constet Respublica fulcris:
Ut vigeant sancti proceres, sanctusq; Senatus.
Tu Schönaichiaden serva, Pater alme, Patronum,
Et sacram quercum; cujus defensa sub umbris
Florescant nostri pralustria tecta Lycai.*

F I N I S.



CASPARIS DORNAVI XII.

CHARI

DEMUS,

hoc est, & s

DE MORUM PULCHRITUDINE,

NECESSITATE, UTILITATE,

ad civilem conversationem,

ORATIO AVSPI-

CALIS,

Habita

in Illustri Panegyre

gymnasii Schönaichi ad Oderam.

PRIMITIÆ CHALCOGRAPHICÆ

JOANNIS DÖRFERI WITEBERGENSIS,

TYPOGRAPHI SCHÖNAICHI

Bethaniæ Elyfiorum

an. C I O C X V I I.